THEOPHRASTI VERIDICI SCOTI DOCTORIS MEDICI PLICOMASTIX,

SEU

PLICÆ E NUMERO MORBORUM

Ἀπόσπασμα

Typis universitatis Abredoniensis in Scotia impressus

Nunc verò Dantisci

Cum

Amplissimo

Ser. Sac. Reg. Majestatis

PRIVILEGIO

venditur

Per

JACOBUM PUFFLERUM

Serenisſ. Reg. Majestatis

Bibliopolam.

ANNO M. DC. LXVIII.

Illustrissimo Illustrissimo

DOMINO

DN. JOANNI ANDREÆ

COMITI DE MORSTIN,

Magno Regni Poloniæ Referendario Kovvaliensi, Zavichostensi, Tucholiensi, Gubernatori; Sereni; Pol; Regis à Consiliis & Secretis.

SUb peplo Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ prodit Plicomastix libellus in vindicias errorum popularium Plicam morbum Endemicum hoc est Nationi Polonæ (sicut Sabaudis Bronchocelæ, & Hispanis scrophulæ) peculiarem statuentium sed non citius in lumen apparuit quin acerrimos propugnatores tam indigenas quam peregrinos nactus est nullo tamen alio præterquam falsis relationibus innixos fundamento longa consvetudine per traducem introductis à cujus rei falsitate post praxin septemdecem annorum dum voluit Excellens Davissonus Primarius Sac. Reg. Maj. Pol. Medicus Nationem Vestram Strenuissimâ nullo

Natu-

Naturæ defectu ab aliis quibuscunq; Europæ Nationibus distinctam eluere, Ecce pro gratiarum actione violento stylo Mimi aliquot insurrexerunt & mille injuriarum cumulis per librum diffamatorium affecerunt, ut apud Polonos inter quos a tot annis inculpatè vixerat, non solum, sed & apud alias Nationes totius Europæ malè audiret: unde videre est quam multum intersit Reipublicæ, ut Medici qui tales errores populares in concivium suorum dedecus & perniciem humanæ Naturæ natos, extirpare non solum velitentur; sed ut tolerarentur, seu quod magis est, laudibus ornarentur & magnis honoribus afficerentur, & quia per Illustrissimam Excellentiam vestram templorum Nemesis sacri nitent cultus, quid non in ejus Deæ honorem facietis non dubito: fuit enim Nemesis facinorum ultrix bonorumque præmiatrix, & pennas illi fabulosa vetustas aptavit, ut adesse volucri velocitate cunctis existimaretur, Dea Adrastia etiam nominabatur Dea justitiæ & veritatis, dicitur enim in campo veritatis habitare, ibique regnum suum habere

ubi est Deorum cibus, Orpheus illam appellat Deorum custodem formidabilem, estque custos Trinitatis, Scientiæ quippe Temperantiæ & Justitiæ, sunt ne hæc præclara culturæ vestræ elogia, neque splendori Vestræ Familiæ inæqualia, cujus domus est in aprico; & hanc qui ignorat in vetere Polonorum historia peregrinatur, nulloque oblivionis velo illam potest involuere ulla ânnorum series; nec satis erat una tellure splendescere nisi angustiis domesticis non contenti laxiùs virtutis meritorumque spacium quæratis, cupidique sua trophæa exterorum inscribere columnis: Gallicam nuper expeditionem summa cum laude, dexteritate & gloria ornavistis; sed quum non desint facundiores qui hunc circumfusum orbi Vestro splendorem seris pandant Nepotibus ego plura sacro silentio peragam, & sincero animi affectu tacitas laudes admirari potius statuam, quam divinum cœlestium Vestrarum virtutum consensum impari prædicationis serie devenustatum relinquere, permittatur igitur ille ut à benigno

Vestro

Vestro Judicio gratiam famamque impetret qui in quocunque orbis terrarum loco vitam duxerit illam vobis Vestræque Illustrissimæ Familiæ devinctissimam, testabitur non secus ac.

Illustrissimæ Excellentiæ
Vestræ

Humillimus & obsequentissimus
Servus

THEOPHRASTUS VERIDICUS
PLICOMASTIX, Medic. Scotus.

Johan-

JOHANNES CASIMIRUS
Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus
Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernicoviæ nec non Suecorum Gottorum Vandalorumq; hæreditarius Rex.

QUùm nihil hucusq; gratius accidere Nobis potuit quam eruditos præsertim qui in generis humani sanitate tuenda utilissimam operam præstare solent, fovere, & in pretio habere, vultuq; benigno talium opera non tantum accipere sed etiam pro alijs Nostro bono Exemplo animandis recommendare; non ita solum suadente ratione communiq; subditorum Nostrorum bono invitante, sed etiam ut apud exteras Nationes qvàm simus pro veritate tuenda studiosi pateat. Hinc factum humillimè repræsentante & rogante Jacobo Pufflero Bibliopola Nostro Dantiscano, ut qùum ante aliquot Menses tractatum quendam in ejus manus incidisse referat Typis Universitatis Abredonensis in Scotia primo impressum, cujus lectio ad summam subditorum Nostrorum utilitatem conferri utiq; possit, sic quùm dignissimum hoc opus existimetur, aliarum Nationum exemplo, ubi Typis prius committebatur; sic in Nostro Regno Magnoq; Ducatu Lithuaniæ ut in lucem prodeat permittimus etiam & libertatem præfato Jacobo Pufflero Bibliopolæ Nostro Dantiscano damus ut Typis quibus velit committat & in Nostris ditionibus advendendum exponat librum cujus titulus est. THEOPHRASTI VERIDICI SCOTI DOCTORIS MEDICI PLICOMASTIX SEU PLICÆ E NUMERO MORBORUM ἀπόσπασμα ad spatium decē annorum quo temporis intervallo omnibus Bibliopolis & Typographis inhibemus ne distribuant vendánt, aut typis prædictū librum absq; Authoris consensu sub pœna confiscationis exemplarium tùm mille Talerorum decernenda. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas sigillo Regni communiri jussimus, Datum Varsaviæ die secunda Mensis Augusti Anno Domini M DC LXVII. Regnorum Nostrorum Poloniæ XIX. Sueciæ vero XX. anno.

JOANNES CASIMIRUS REX.

(L.S.) JOANNES WOLOWSKI, Canonicus Culmensis Secretarius S. R. M. mpr.

AD LECTOREM.

Non ità pridem incidit mihi in manus liber quidam VOPISCI FORTUNATI PLEMPII Artium & Medicinæ Doctoru atq; ejusdem in Academia Lovaniensi Professoris primarii de affectibus capillorum & unguium, sub quo titulo non mihi tam affectum capillorum & unguium contigit videre, quam paschmatam, ut Italico more loquar, aut libellum δύσφημο ab homine Polono (Ecclesiastico mihi ignoto instigatum, sed à Vopisco Fortunato Plempio contra Excellentem Dominum Davissonum Sac. Reg. Majestatis Poloniæ & Sveciæ Archiatrum, ejusq; nationem editum, & quamvis prima fronte non parum mihi commotus viderer; cum sit popularis meus, & bene mihi notus & ergà me benè meritus; tamen paulisper me ipsum recollegi ut locum rationi simul & consilio relinquerem.

Deinde post maturam deliberationem de bonæ hujus Viri, ut mihi amicissimi, famæ illata injuria expostulare proposui; Nemo enim tam probus, aut etiam felix atq; fortunatus esse potest, qui non aliquando prӕter obtrectationem, calumnias, vel aliorum corruptelas reprӕhendatur: imò etiam virtus fato & injuriis obnoxia est; in quo casu erecti & liberalis ingenii hominis esse credidi, non tacere, nec rumorem contrà amicum meum sparsum negligere, nec parvi aliorum expostulationes atq; objurgationes facere: sed tamen quæ sunt vera ingenuè aperire, & falsa revellere, quæ autem conviciandi occasionem prӕbent fideliter toti mundo aperiam, sed primo de verbo ad verbum ejus Epistolam ad quendam Episcopum illum instigatorem suum referam, deinde singulis calumniarum punctis particulatim quam fieri possit absq; bile responsurus, & primo ad lectionem Epistolæ Vopisci Fortunati Plempii ad Episcopum instigatorem suum invito Lectorem quæ talis est:

Illustris-

Illustrissimo
Et Reverendissimo Domino
THEODORO SKUMI-NOVIO,
DEI & Apóstolicæ ſedis Gratia Epiſcopo,
Gratiano-politano
Sanctissimi Domini N. Pont: Max:
PRÆLATO DOME-STICO,
& Aſiſtenti
PER ALBAM RUSSIAM SUF-FRAGANEO,
Cantori Prælato Vilnenſi, &c.
V. F. Plempejus gaudere & benè rem gerere.

TOt terris peragratis, tot populorum moribus perſpectis, tot viris doctis, Illuſtribus, Summatibus cognitis Belli Poloniæ inteſtini calamitatem declinans tandem apud Grudios biennium conſides & Academiam hanc noſtram dignitatis tuæ ſplendore illuſtras. Hic ad Te Dignisſime Præſul Doctorum præcipui lubentes & frequentes viſunt de ſcientia qualibet differentem audiunt, abſtruſa diſquirentem mirantur, in his ego nomen profiteor meum; qui quoties admisſionem dediſti, (dediſti autem quæ tua eſt facilitas

A mihi

mihi sæpiusculè) toties Polimathiam tuam suspexi, colui, ut alia taceam, dùm de tricis capillorum Russicis verba faceremus, dicerémq; Willielmum Davissonum Scotum Regis vestri Archiatrum, existimare, & ausum esse scribere affectum illum pilorum esse imaginarium, superstitiosum, fabulosum, indignè primùm id accepisti; deinde meam aduocationem pro gente tua fortissima flagitans ut isti Nobili Scoto responderem, instimulâsti: quod quidem & omne hujusmodi bellum libenter à me militatur in vestræ spem gratiæ; ac fateri debeo, panopliam me seu armaturam integram à te mutúatum esse; tam enim disertè, enucleatè, dilucideq; naturam Thricomatis, quam vulgò plicam vocant, mihi explicasti, ut Medicus peritiùs posit nullus, id quod luculentè ostendit elegans & perdocta Epistola tua hîc subjuncta, è qua velut leonem ex, ungue variam atq; abundantem Tuam doctrinam, eruditionemq; animadvertere cuivis licet. Ergò animum manumq; tuo ductu ad scribendum appellens confeci, apologiam pro Natione vestra. Hæc quia tenuis nimis erat & exigua, quam ut sola ederetur, integrum de omnibus capillorum vitiis tractatum conjunxi, quem Illustrissimo Nomini Tuo dico, consecro, ac velut mnemosynon mei offero, ut constet posteris Nobilissimæq; Tuæ Genti me Dignitatis Tuæ & Gratiæ fuisse præsignem æstimatorem, & cultorem. Vale feliciterq; jam abiens ad Tuos reverte, ac diù Ecclesiæ DEI, Regiq; Tuo vive, quod ut fiat vota facere non cessabo iterum & supremum Vale scripsi Lovanii die VIII. Octob. CIϽ IϽCϽ LXII.

VO-

VOPISCI FORTUNATI PLEMPII EPISTOLÆ

ἀνάκρισις.

Splendidus hujus Epistolæ Titulus Episcopi Gratianopolitani ità malè quadrat Episcopali Dignitati, quamuis in locis infidelium, ut vix credere possim, talia carcinomata unquam ex ore Episcopi emanasse, ità ut quasi videatur sublimem hunc Titulum adscivisse sibi, quò citiùs ad majora provehi, & faciliùs possit impunè propter dignitatem characteris viros probos & honestos convitiis diffamare, & quamuis à Fortunato *Plempio* πολυπορίως κ, πολυτρόπως *à tot terris peragratus, & tot populorum moribus perspectis, quasi alter Vlysses in sublime exaltaretur, attamen miror, quòd tàm sit peregrinus in sua Natione, ut Aulam Polonam nunquam hucusq; inviserit, nec mores, nec civilitatem polonam addidicerit, nec, quid sit plica, intellexerit; hinc apparet quàm sit Fortunatus Plempejus homo simplex & infortunatus, quando Academiam Lovaniensem tam celebrem asserit, à splendore dignitatis* SKUMINOVII *fuisse illustratam, undè quid mirum sit, si tota hac æstate ejus radiis orbata Polonia, tenebrosissimam æstatem nacta sit. Quicquid tamen sit, quamvis prius Excellens Dominus Davissonus Ser. Sac. Reg. Majest. Archiater compatriota meus & amicus intimus, virum istum nunquam nec viderit, nec cognoverit, nec de suo Nomine unquam audiverit, nihilominus* SKUMINOVIUS *hic ipsum mille convitiis insolentissimis affecit (hoc solo nomine, quòd plicam è numero morborum deleverit) & in sua Epistola ad Fortunatum Plempium Clitellarium vocat, & pro homine in Polonia vicos oberrante, & quærente quid devoret exponit; Mercatorem vocat imprudentem, & satyricum caput, contortum ingenium, multis compositum mendaciis, quæ omnia toti Europæ se explicaturum promittit, falsa & commentitia Scoti illius ut ait scripta de plica toti se orbi ostensurum dicit, De hoc igitur contemptu vilipendio, & similibus bonæ famæ detractoriis conuitiis in amicum & compatriotam non solum, sed contrà gentem suam & meam per libellum diffamatorium in publicum sparsum, Lectorem monitum volui, ut judicet me non temerè, sed ægrè exposita prius causa in arenam hanc descendisse,* ac

ac proinde nè crederet aliquis me à levissima aliqua occasione disceptationem istam suscepisse curiosum Lectorem ad lectionem sequentium invito, qua possit unusquisq; percipere, quàm grave sit Viro probo silentio suo tam gravia crimina sibi absq; δικαίωσι involuere. Primo igitur antequam calumniis respondeam plicam è numero morborum explodam, deinde æquum Judicem rogo, ut liceat mihi vim injuriarum in personam Excellentis Domini Davissoni, tùm in Gentem meam emissarum simili vi repellere, habita tamen semper summa characteris sui reverentia, ita tamen ut aliquando liceat mihi convitiatorem hunc Skuminovialiter, & ut Mercatoris Vilnensis Filium, & non Episcopaliter tractare, & deniq; sicut ille orbi universo Excellentis Domini Davissoni de plica opinionem, sed additis scurrilibus terminis explodere conatur, simili ratione quid de se & suis extravagantiis cogitare debeat, ego Plico-mastix exponam.

Primo igitur antequam respondeam in specie calumniis Doctoris Fortunati Plempii & instigatoris ejus dicam in genere de plica & discutiam quæstionem, an sit morbus, nec ne? Interea nescio qua authoritate audaciam Excellentis Domini Davissoni accusari velit in Epistola sua peritus hic Doctor, quum nullis ille mancipem se dederit, ut timeat scribere, quæ velit, exceptis Ser. Sac. Reg. Majestatibus, Dominus ejus clementissimis, nec teneatur de sua audacia ulli alteri respondere, præsertim in rebus, quarum nullam habet accusator suus notitiam, nisi ex Ecclesiastici cujusdam Excellenti Davissono prorsus ignoti inepta descriptione, qui ex sola relatione rusticorum, aut forsan à matre commentitiam descriptionem habuit. Bonus enim ille Ecclesiasticus objectionem desumptam ex sanguine, qui dicitur quandoq; apparere in sectione plicarum, factam contrà sententiam Excellentissimi Domini Davissoni appellat objectionem sensibilem, cùm tamen sanguinem ex detonsa plica manantem, nec ipse Episcopus viderit unquam, nec alius pro ipso, & si hoc esset verum concederem plicam posse nominari morbum, sed doleo illum de rebus domi existentibus esse tàm malè informatum, nunquam enim visus fuerat sanguis è crinibus scissis effluens, nec in Polonia, nec alibi, & si hoc ità esset quod sanguis in scissione appareret, illicò traderem manus, & me victum ipse proclamarem. Jam sunt tredecim anni, ex quo in Polonia versatur Excellens Dominus Davissonus inquirendo sedulò, an unquam tale quid fuerit visum, sed nisi apud garrulas istas vetulas plebejas, quarum fides nulla est, nihil simile auditur, nam jam dicunt, modo negant, & quic-

quid

quid Auditori gratum fore æstimant, hoc affirmant, & posteritati relinquunt. Sed in rei veritate, quando premuntur, ut verum referant, fatentur liberè se nunquam simile vidisse. Primò ergo exponam celeberrimorum tàm Philosophorum, quàm Medicorum sententias, qui de pilorum natura scripserunt, & qui pilos è numero partium corporis explodunt, & proinde non esse capacia subjecta, quæ actionem morbificam inducere possint probabo, deinde adferam tam valida argumenta, quæ ad silentium omnes aliter sentientes facilè reducent. Dicam igitur: Quanquam pili è summa cute prodeuntes, & propria circum-scriptione definiti corpori hæreant firmissimè; nec modò ad ornatum, sed etiam ad partium tutelam, & operimentum seu munimentum animalibus obtigerunt, tamen quia communi totius vitâ non fruuntur, neq; propriè nutriuntur, vel increscunt; sed æquivocè, ideo in partium numero haberi non possunt; nec enim reliquarum partium more alimento introadacto, tractove nutriuntur, nec quoquo versum ampliantur (licet ætate provectis evadant crassiores & duriores ob meatûs amplitudinem & majorem excrementi adustionem, nec non constitutas habeant incrementi limites, quos non prætergrediuntur, ob naturæ providentiam, aut radialis expultricis rationem) sed ad radicem duntaxat novâ appellente materiâ ulterius radialiter progrediuntur, & in longum tantum promittuntur. Nam pili ortum habent ex fuliginosis crassis, & terrenis vaporibus, tùm ex tertia coctione superfluis, tum à calore suscitatis, qui dùm per angustos cutis meatus propelluntur, hærent & in illis stipantur, ac subindè aliis atq; aliis accedentibus truduntur foras, teretes, substantia, figura, calore, pro humoris, caloris & meatus varietate inter se differentes, ut docet Gal. cap. 5. lib. 2. de temp. Ex quibus perspicuum est tria ad pilorum generationem concurrere. Primò fuliginosam evaporationem ut materiam. Secundò calorem excitantem fuliginem ut causam efficientem. Tertiò cutis siccitatem mediocrem, ut causam sine qua non; si quidem cutis mollities & humiditas ut facilè perforatur, sic foramina sinit coalescere; Siccior & durior vaporibus renititur: Hinc pueris ob mollitiem tenues capilli sunt, senes ob siccitatem calvescunt, Spadones glabrescunt, quia perfrigerantur ex lib. 2. de Temp.

Sunt autem duo pilorum genera ex Arist. cap. 11. lib. 3. de Hist. & Galeni lib. 11. de usu partium, alii sunt congeniti, Conditoris providentiâ nati, naturis omnibus ab ipso ortu communes, ut in cap. ciliis & superciliis: ac hominis qui-

 dem

dem caput maximè omnium pilosum existit, tùm ex necessitate propter humoris & caloris copiam, cum cutis siccitate conjunctam, tùm ob commoditatem, ut ab externis injuriis cerebrum maximum & humidissimum vindicaretur ex Arist, cap. 14. lib. 2. de partibus animalium, & Gal. cap. 1. lib. 2. de temp. & Avicenna lib. 1. fen. 20. dicit pilos fieri ex vapore fumoso qui elevatur; resolutum enim erat, quod in eo de vapore mixtum erat, & pura fumositas remansit, quæ nulla animalia nutrit; & Fernelius de Elementis cap. 2. ex numero partium corporis etiam pilos excipit, & hoc argumento utitur, quia non augentur pili ab alimento intus attracto, sed materia extra impulsa, quam hactenus radialem vocavi, non radicalem, & quod communi totius vita non fruantur, nativus enim calor operatur in quibusdam, non secùs ac ignis, qui dum agit vires sulphureas, primo ut fumos expellit extrà sphæram suam radialiter, humidum verò, qui est fluor vel Mercurius, sulphur & sal radicaliter in se continet, & ad nutritionem animalium in se retinet, unde tale argumentum ex Fernelio formari potest. Quod vita communi non fruitur hoc ex partium corporis numero excluditur, sed pili tales sunt, ergo pili non sunt corporis partes. Major probatur, quia vita definitur esse effervescentia essentiæ & actionum origo, at ubi deest actio, ibi deest corporis actio, & est quasi cadaver: Item quod non habet relationem ad totum vivens, illud non censetur esse pars viventis: sed pili non habent relationem ad totum vivens; major per se patet, minor probatur, quod adesse aut abesse potest à toto vivente non censetur fuisse pars corporis viventis; inde sequetur, si pili non sint corporis partes, nihil commune cum corpore habere debent, quod partium viventis corporis proprium sit, at viventi corpori, omnibusq; ejus partibus hoc est proprium, ut morbis, symptomatibus & causis morbi subjiciatur, ergo quæ non sunt partes corporis non habebunt morbum, neq; symptoma, neq; causam morbi in se continere possunt, & per consequens nec plicam, nec alium qualemcunq; morbum, ubi igitur invenietur plica Polonica si inter morbos constituenda sit?

Deinde si crines essent partes corporis, aut essent partes similares, aut organicæ. Sed partes similares continentur in continuata serie partium corporis, quæ distinguitur in caput, thoracem, ventrem, & artus, qui dissoluuntur in alias partes, caput, faciem, oculos, frontem, aliaq; plura, & similiter de cæteris membris,

bris, alia in alias partes dissoluuntur; in qua dissolutione nihil similare cum reliquis partibus totius corporis pili habent. Ergo ex partium similarium numero pili excluduntur; non sunt pars organica, organum enim non sui ipsius, sed sui muneris obeundi gratia constituitur, & propterea nihil informe instrumenti nomine dignum est, & aptum ad aliquod opus: sic manus est instrumentum ad retentionem aptum, lingua ad loquendum, stomachus ad coquendum, sed pili ad nullum simile opus sunt destinati, ergo pili non sunt partes organicæ corporis viventis.

Deinde quæ verè numerantur inter partes simplices corporis viventis, comprehenduntur sub denario numero, nempe sub osse, cartilagine, vinculo, membrana, tendine, nervo, arteria, vena, carne, cute, at pili in isto numero non deprehenduntur, ergò pili non sunt partes corporis viventis, ergò non possunt numerari inter subjecta sanitatis aut morbi.

Præterea quicquid in nobis consistit, aut corporis pars, est, aut in illa continetur: corporis partes hactenus denominavimus, quæ continentur, in istis partibus sunt contenta, continentia, & impetum facientia, in quorum numero pili non comprehenduntur: ergò in pilis non potest esse morbus neq; symptoma, nec causa morbi: Ergò quùm contrà fundamenta Gal. Arist. Cornelii Celsi, Avicennæ, Fernelii aliorumq; coryphæorum Medicinæ pugnet sententia, statuens plicam esse morbum, Plica è numero morborum prorsus erit eliminanda. Hinc patet pluribus de causis reprehendendum esse Plempejum, & ex his præcipuè. Primò ex eo quod dicit pilos esse partes corporis. Secundo quòd attrahent alimentum. Tertiò quòd plicosa capillitia egrediantur è raso capite, sicut fungi ex fimeto. Quartò quòd habeant formam triangularem. Quintò quòd pili scissi sanguinem effundant. Sextò quòd vermes nutriant. At quàm sint ista omnia falsa probabuntur in decursu.

Restat nunc ut per transennam ratione confirmem, quæ hactenus per autoritates exposita sunt, & primò disputabo contrà insigne illud, & impudentissimum mendacium, quod celeberrimas Europæ scholas hucusq; illusit, ubi dicitur pilos plicosos scissos effundere sanguinem: Ubicunq; non sunt venæ & arteriæ, ibi non est sanguis, sed in plica non sunt venæ & arteriæ, ergò non sanguis; verum est prius, ergò & posterius. Deinde venæ & arteriæ quæ sanguinem continent non reperiuntur, nisi in solidis & utilibus partibus; at crines complicati non sunt solida aut continua corpora, sed disgregata, nec aliter ab adversario

habentur,

habentur, nisi pro inutilibus & excrementitiis partibus, in quibus nec venæ, nec arteriæ reperiuntur; igitur in crinibus complicatis non reperitur sanguis, nec sanguinea materia.

Deniq; ubi non est actio læsa, ibi non est morbus, sed in crinibus non est actio læsa, ergo in crinibus non est morbus. major vera est, quia morbus definitur per actionem læsam. minorem probo, ubi non est omninò actio, ibi non potest esse actio læsa, sed in crinibus nulla est actio, ergò ibi nulla est actio læsa, nec morbus: major constat ex se, minor probatur, ubi non sunt Spiritus radicales sed radiales, quales sunt, qui igneam & fuliginosam materiam per omnes poros corporis expellunt, & quorum Spirituum actio finitur in poris, ibi nulla est actio, sed in crinibus nulli sunt Spiritus radicales, sed radiales, ergò nulla actio læsa, nec non læsa, igitur nec morbus: Major est Hyp. in lib. de flatibus, ubi dividit humanam naturam in continentes & contentas, & impetum facientes; nam sub illa divisione, non continentur pili, quia non sunt corporis partes, sed excrementa corporis, pro ornatu, & tuendo à levibus iniuriis capite; minor per se nota est, nam ubi non sunt venæ, nec arteriæ, ibi non sunt Spiritus, per consequens nullæ actiones, & si nullæ actiones ibi nullæ vires, & ubi nullæ vires, ibi nulla essentia, & ubi nulla essentia, ibi nullus morbus, & per consequens nulla plica.

Et sanè si verum sit illud Hippocratis oraculum contraria contrariorum esse remedia, ut ipse lib. de flatibus exposuit Medicinæ officium; Fames erit morbus, quicquid enim hominem molestat confestim morbi appellationem meretur; Pharmacum autem hujus morbi est quicquid famem sedat, sic sitim potus sedat, sic si sint incommoda per introductam complicationem in capite, per amputationem aut divaricationem curari debent; ea ratione, si detentio plicæ, ut ignava plebs fingit in corpore, aut prohibitio exitûs ejusdem per medicamenta cathartica, periculosa symptomata inducere possunt; in egressu omnia debent silere: sed dolores capitis, Epilepsiam, & similes graves affectus crebrius plicosi, quam alii experiuntur, Mirabilis igitur est natura imaginariæ hujus plicæ, quia nec locum habet ubi degat, nec humorem ex quo fiat, sed fingitur esse, ubi non est, aliorum morborum symptomatis denominationem sumit, & tamen morborum istorum nomine non insignitur.

At si opponat aliquis, & dixerit plicam non esse morbum, neq; causare symptemata,

ptomata, nisi quando in corpore latet, tunc respondeo non potest dignosci morbus, nisi per symptomata, at quæ dicuntur symptomata ante exitum plicæ, sunt symptomata aliorum affectuum, quæ facilè à Medico versato in praxi distinguuntur, sed quia pauci sunt Medici & non sufficientes pro centesima parte Gentis, Barbitonsores, qui nec dum principia Chirurgica norunt, sibi attribuunt, nullo contradicente nomen Medici, dûm aut literas Doctoratus emunt, & cum peritissimis Medicis Authoritate mulierum suffulti contendunt & quando hærent in praxi resistente difficili aliquo affectu, tunc ut liberentur cum honore, plicam accusant internam, & mulieribus tradunt ut cum Spiritu cerevisiæ, aut pulvere, aut decocto branchæ ursinæ confricando fullaturam inducant, & si fortè natura morbum superat, tunc effectus naturæ & confricationis simul conveniunt, & solutionem morbi à plica exitura attribuunt, & hoc sæpè in Cholica biliosa accidit ità ut tunc in scissione plicæ vix consentient, imò quamvis redeunte cholica, quæ non minus ægros torquere solet, imò & sæviùs, quam primò & tunc augentur symptomata propter obstructionem pororum capitis, & propter gravem decubitum, quem habent propter globosum & durum cumulum crinium, qui interponitur capiti, & pulvinaribus, & quamvis tunc non minus ab istis doloribus liberentur, quâm prius ante exitum, tamen tam valet ista pertinax & contagiosa consvetudo, ut omnes adstantes in consensum trahat, ut æquè volentes ac nolentes à plicæ scissione absterreant, & ità non curantur ægri à morbis, qui verè ipsos affligunt, sed à putatitio affectu, quem ipsos affligere autumant.

Deniq; scheleton luis venereæ ipsis insomnes reddendo noctes ab annis forsan viginti ipsos prosequitur, imò sub imagine plicæ durat ad mortem, & talibus familiarissimus est affectus ophthalmia, cui facilè succedit ulceratio corneæ & cæcitas, & si sit scissa prius plica aut non, & si prius fuerat scissa plica, tunc undiq; proclamatur hoc à scissa plica evenisse, quæ spernit omnia remedia, imò etiam consilium Divinum, quod dare locum Medico imperat.

Præterea quod summè est considerandum, si plica esset morbus, haberet subjectum in quo inhæreret, at plica nullum habet subjectum, subjecta enim sunt corporis humani partes, at plica in nulla parte corporis humani reperitur, nam si reperiretur aut esset in loco sangvineo, aut spermatico, non in sangvineo, nisi velit quis crines pro parte sangvinea statuere, cujus contrarium est ratione probatum; Non in spermatico, non sunt enim crines partes spermaticæ;

Partes enim spermaticæ amputatæ nunquam coalescunt, nec unquam resartiuntur, sed crines amputatione resartiuntur. quæ Diastolen spirituum radicalium comitantur. quum igitur plica non habeat subjectum in humano corpore ex numero morborum rectè exploditur.

Præterea *si plica esset morbus, haberet suam actionem ab interioribus partibus corporis provenientem, sed non habet, & si haberet, ista esset continuata actio, sed ipsa autopsia ostendit istam actionem esse interpolatam, quia partes inferiores & pericranio proximiores non complicantur, imò nunquam visa fuit in crinibus infra latitudinem trium pollicum â tonsura crescentibus, sed semper in apice, nunquam in fundo, Unde patet istam complicationem non ab interiori actione quæ semper est perfecta, sed exteriori imputari, quæ fit juxta voluntatem Actoris: Crines ergò cùm nascantur expliciti, complicatio non à natura, sed ab arte & voluntate Actoris fit. Et hoc erit validissimum argumentum contrà plicam puerorum. Et si quis plicam nuper nascentium objecerit. ℞. primò in pluribus nuper natis fœtus nascitur cum promusis capillis, qui juvante priùs humiditate, sangvine & lochiis maternis viscosis in partu capiti adhærentibus facilè complicantur; Secundò à parentibus plicosis nati, possunt erumpere plicosi natura ipsa cum consvetudine conspirante ut dicetur infra referente Hip. lib. 4. de aëre, locis & aquis tractante de Macrocephalis sed si aliæ nationes istam pilorum adhærentiam foverent ad extra; essent similiter illorum liberi plicati, sed aliæ nationes pectine singulis diebus crines puerorum divaricant & à complicatione liberant. Igitur plica est affectus putatitius, & à cerebro superstitiosarum mulierum Russarum natus.*

Sic perhibent Græci gens multùm accommoda nugis
Garrulitate potens fingendiq; apta Magistra

Sed si articulorum dolores premant, illi non in articulis locum designant, sed ad capillitia confricanda cum Spiritu cerevisiæ & pulvere spondilii, quem illi brancham ineptè ursinam vocant, confugiunt, Unde absq; multo labore cum humiditate & pulvere cujuscunq; sit speciei exitum plicæ provocare credunt & ex inferioribus partibus ad crines plicam pellere credunt & sicut vulpes è cavea cum fumo accenso expelluntur, ità plicam curatum iri somniant. Pulvere enim illo, humiditate & crebra pertrectatione cum viscoso sudore colligunt crines in massam: unde actio ista extrinsecus procurata demonstrat satis fullaturam istam non provenire ab ulla actione interna; nam

si hoc

si hoc ità esset crines usq; ad radices fullarentur; sed est distantia quædam inter cutem & plicosos crines, quæ tota est repleta crinibus emanantibus è poris distinctis ad intercapedinem unius digiti. Hac ratione quando moventur plicosa capillitia fiunt aculeati dolores, sicut aliquis huc & illuc crines divelleret.

Ità quando exostoses in ossibus tibiarum, fæmorum, brachiorum, aut capitis vexant, omnia ista Symptomata exituræ plicæ prohibitæ appropriant, imò quamvis guttur aut palatum à lue venerea exulcerata fuerint, si nasus ceciderit, aut oculi exulcerentur, non tamen tradunt manus, sed sanationem morbi à plicæ exitu expectant quæ tamen expectationi non respondet, & si ità, quare non scindunt, aut explicant plicam, nè impediant exitum, & ità infelicitatem infelicitati addunt: Eodem pacto si colici dolores illos afficiant, perire mallent, quàm credere alium affectum quàm plicam ipsos afficere, & sic judicandi certitudinem Medicis expertis, & meliora sentientibus eripiunt & obstinatè plicam accusant, ità inter ipsos invaluit pertinax consvetudo, ut omnem morbum sub plicæ nomine collocent, proinde ac si quispiam consvetudinem credendi insinuaret esse naves in cœlo, vel novas Stellas, vel saltantes Satyros infrà terram, ac si se aspicere obstinatè affirmaret, proinde ratione & rerum docta experientia reducendi erunt ad Veritatem amplectendam. Nam

Prudentis rectrix ratio est, nec opinio vulgi,
Certior est ratio, Duce quâ mens inuenit inter
Mille latens nugas, & inania somnia verum.
Hanc amat, hanc sequitur totis huic viribus hæret,
Qui sapit ingenioq; valet, cui valida mens est,
Æthereusq; animus: sed crassa obtusaq; turba
Non videt hanc Lippis oculis: hinc plurimus error,
Vanaq; credulitas, & opinio vana sequaxquè

Quod autem attinet ad responsum singulorum articulorum ab isto bono Doctore expòsitorum breviter aperiam. In fronte igitur Epistolæ dedicatoriæ extendendo se in Reverendi Instigatoris calumnias scribit:

Vt alias taceam, dum de tricis capillorum Russicis verba faceremus, diceremq; Willielmum Davissonum Scotum Regis Vestri Archiatrum existimare, & ausum fuisse scribere, affectum istum pi
lorum esse imaginarium superstitiosum, fabulosum.

 Adeste

Adeste sodes, nam quisquis huic irato obviam accesserit, vapulabit, rectè vocat tricas Russicas; nam plicæ istæ sunt veræ tricæ & vulgi teretesmata, neq; habent fundamentum in rerum natura, sed in phantastica contumaci & superstitiosa consvetudine, quæ rationi sensui & experientiæ obganniunt. Sed oculatæ sunt manus quæ credunt quod vident & non quod aures audiunt. Primò enim inquirendum an septendecim anni sufficiant ad acquirendam radicalem experientiam? Quod si non, vix Salomonis scientia sufficeret: proinde scribo nec ficta nec picta, sed quæ ratio, sensus & experientia docet, commentitia semper rejicio neq; veritatem super largiloquas linguas, neq; multibibas aniculas fundare autumo; sed quæ ab ipsis eruditioribus Regni Poloniæ Medicis confirmantur: imò & conqueruntur multum, quòd ità fascinetur tota regio à similibus nugis ut credant multò faciliùs esse annuere, quam plebejorum errori in hoc delirii genere resistere. Itaq; omnem spem eradicandi hanc pertinaciam amittunt, & malunt silentio rem transire, quàm importuna allatratione quotidianum litigium cum rusticis & vetulis suscipere quod ad excellentem Dominum Davissonum attinet, nullus labor ipsi gratior esset, quàm in re tam utili, quamvis ardua operam insumere, cogitet unusquisq; quid de illo voluerit, veritas & quotidiana proborum hominum attestatio, palàm facit illum nullum unquam quæstum in similibus nugis fecisse; nulla enim impostura utitur, ut Dominus Doctor fingit, sed forficibus abscindere facit, & credo eum decem mille plicas abscidisse, ex quibus nec unus rediit, qui conquereretur, quùm tàm pugillicè, pancraticè, & athleticè valeant, atq; unquam valuerint. Deus novit & tota gens polona ubi victitat eum nullâ, lucri spe laborem istum insumere, & si velit, notum est insignem quæstum posse facere; nam gens ista plicata nihil magis appetit, quàm â vanis persuasionibus decipi, volunt quidem ab omnibus affectibus à plica provenientibus, aut qui sub ejus nomine circumferuntur liberari, & propterea plurimi, qui conscii sunt luis venereæ ad decoctum accurrunt, aut ad minus palliantur, pro aliquot mensibus, multi etiam sub umbra plicæ dolores suos nocturnos quasi à plica provenientes deplorant, neq; curam patiuntur, quousq; palatus aut nasus ceciderit, sed de amputatione plicæ, à qua ut plurimum istos affectus causari credunt, ne verbum quidem volunt audire; sed exclamant sicut Demetrius in favorem templi Dianæ, certè plica magna & miraculosa res est, & si quis valetudinarios curare velit, oportet persuadere, ut remedia omnia

mnia exhibenda essent pro majori exitu plicæ: Ita si doleant pedes, genua, venter, caput, aut alia qualiacunq; membra, tunc somniant à quo possint talia remedia ipsis exhiberi, quæ dolores arthriticos à pedibus vel aliis partibus corporis sursum ad caput deferre possunt alioqui nulla fides Medico aliter curanti adhibenda.

Quod autem ad audaciam quam Domino Davissono obiicit nullis se mancipem dedit, ut timeat quemcunq; exceptis DEUM & Ser. Sac. Reg. Majestates Dominos suos Clementissimos de ausu & existimatione ipsius scribit Dominus Doctor, sed pietatem debeat nominare, & non audaciam, cæcum enim & ignavum, in rectum tramitem deducere, aut næfos falso genti Polonæ in se bene merita ascriptos delere persuasit bonus affectus, dum errorem quo totus mundus falsâ plicæ imputatione obruitur, obliterare studuerit; sed præsertim tunc dum à Medicorum inquilinorum mentibus scrupulum istum veræ plicæ descriptione delere conatur, neq; quis mente sanus bonum ejus affectum reprehendet, aut iniuriosis convitiis accipiet, sed è contrà laudibus multis extollet.

Indignè quidem id accepisti. *scilicet hoc superis curæ est; dubito Religiosum præsertim Episcopum, quamvis adhuc in locis infidelium, indignè accipere sed potius benignè & cum summa modestia uti salutari consilio, voluisse quod defæcato animo in Compatriotarum suorum commodum datum fuit. Itáne igitur pro bono malum redditur? quis crederet indigenam aliquem gratiam suæ genti præstitam velle indignè accipere.*

Deinde meam advocationem pro Gente tua fortissima Flagitans, ut isti Nobili Scoto responderem instimulâsti. *Custodiat Deus lunam à canibus: Gens ista fortissima non eget tua clientela, nec veretur Excellens Davissonius tua imperita responsa, absit credere Religiosum pacis cultorem advocare potuisse aliquem, ut in causa aliena tàm indoctus dimitteretur nec instigatoris nomen admittere potuisse, præsertim contrà hominem, qui illum nunquam, vel solâ cogitatione læserat, nec dum cognoverat; Neq; egere credo Poloniam advocatione alicujus, pretio empti, ut suum ius contrà Nobilem istum Scotum Polonorum omnium summum & debitum Fautorem, & laudum Buccinatorem, defendat: Ille enim scotus omnium ingratissimus, inconsideratissimus, & inconsultissimus fuisset si contrà gentem sub cujus alis tam septendecim annis delituerat, & ubi sub Ser. Sac. Reg. Majestatum Dominorum suorum*

rum Clementissimorum lautis stipendiis iam dudum militaverit, pennam elevare voluerit. Certè hoc si ità esset ex omnium bonorum & sapientum conversatione meritò proscriberetur: Si bonus ille Doctor & Professor Lovaniensis Primarius tractatum illum integrum, quem tanti vituperat exactè legisset, plura quæ testari poterant invenisset, quàm seriò potentissimæ genti Polonæ vitam & voluntatem addixerit.

Et omne hujusmodi bellum libenter à me militatur.

Vult igitur in militiam proficisci Dominus Doctor, parùm refert, modò ne Galliam invaserit: nam relictâ cathedrâ conquererentur studiosi de deserta sua statione & alium Professorem acquirerent. Capturus igitur instigatoris sui gratiam, aliò debet arma sua quàm in illum jam ætate provectum & in Medicina benè meritum conferre ut ab aliis mercede expectata supplaceret; imò contrà talem non decebat qui mille sui similes milites doctrinæ suæ & experientiæ lacte aluit, ex quorum numero ego & plures in celeberrimarum Europæ Academiarum cathedris reperiuntur, qui Doctoris hujus militiæ injustam susceptionem reprehendent, & modestiam ipsi & meliores mores suadebunt.

Fateri debeo, panopliam me seu armaturam integram à te mutuatam esse. *Turpe est Doctori & Professori Lovaniensis Vniversitatis; quæ celeberrimos quosq; Europæ viros semper tàm in Philosophia, Theologia, tum arte Medica alere solebat à Religioso, sed Medicinæ ignaro arma mutuari, ut contra hominem, qui toto vitæ tempore Religiosis hominibus (longè remota remunerationis spe) auxilium præbere gloriatus est, aciem stringeret. In Ecclesiastico ordine duo Episcopi Vilnenses sub quorum suffraganeatu præest illum altioris honoris gradu dignum æstimarunt, publiceq; sanitates suas arte illius recuperatas fuisse sæpius fassi sunt. Idem faciunt Illustrissimi Cancellarii Lithvaniæ, idem Secretarius Magnus Illustrissimus Cottovisius & maxima pars Senatorum. Etsi ista veritas ad Suffraganei illius aures non pervenerat, totum hoc loci intercapedine, quæ ad trecentas leucas gallicas distare noscitur, attribuendum; aut potiùs obscuræ conditioni, cui Aulæ polonicæ introitus denegabatur, nisi forsan cautioris ingenii fuisse crediderim, quàm ut auderet ingloriosè Aulam Polonicam ingredi, qui partem & servos Serenissim. Sacr. Reg. Majestatum convitiis absq; ratione prosequitur. Et sanè justè timeret Aulæ risum, namsi ad convertendos infideles per mutuatum nomen Gratianopolitani Episcopi in partibus infidelium destinatus, contra fidelitatem*

litatem professionis suæ per libellum famosum, viro Religioso, pietate & bonis moribus prædito indignum se se præstiterit, immaturum se adhuc pro tàm augusto munere declararet.

Tam disertè, enucleatè, dilucideq; naturam Trichomatis explicasti ut Medicus nullus possit peritiùs rem perficere. *Audiatur quis hic novus tonat Demosthenes, & audiatur Dominus Professor Episcopo suo Instigatori propter tricas suas abblandiens, & subparasitans. Subpuderet alium nisi pretio honorarii emptum, ita adulari; sed & vicissim audiatur Suffraganeus Doctori suo par pari rependens, nam in Epistola sua modò sensus deest, modo falsissima profert, in aliis autem locis rectè annumerari potest hominibus qui sibi vident, sibi sapiunt, & sibi credunt ut videre erit linea quinta primæ paginæ Epistolæ suæ usq; ad finem, ubi tota ejus doctrina non tàm versatur in confirmatione plicæ, quam in vomendis contrà viros probos & Excellentem Davissonum carcinomatibus putidissimis, Viro Ecclesiastico indignis; In aliis autem locis aut sensus de est, aut falsa profert: dùm Dominus Doctor Instigatoris sui laudes canit in sua Epistola dedicatoria,* Do*minus instigatus reciprocum reddit in sua epistola ad instigatorem de valetudine sua tuenda, sicut equus pruriginosus scabiosum conscalpens. Sed si tàm peritè doctrinam plicæ explicuisset Reverendus Episcopus, ac prætendit Medicus suus, Medicis interdicendæ essent cathedræ; Sed ista scribendarum Epistolarum peritia omnibus pædotribis familiaris est, vapulabant enim ejus discipuli, quando pædagogiam suam exercebat, nisi peritiam istam psittacorum more acquisivissent, sed bonos mores pauci norunt, quorum ignorantia, quàm sit Reipublicæ præjudiciosa nullus ignorat & ut cum Palingenio dicam per magni referre quo pacto nutritus sit puer, & à quo instructus sit, nam quos mores puer adbibit, & quas*

> *Artes à teneris discit, retinebit adultus,*
> *Illa diu durant, animisq; tenaciter hærent;*
> *Ergò sit probus, & doctus, prudensq; Magister,*
> *Qui puerum instituit, cogatq; assuescere honestis.*

Et supra omnia timere debent parentes tales Præceptores filiis suis dare, qui proni sunt alienam famam denigrare, nam qui proficit in Literis & deficit in moribus, plus deficit, quàm proficit, sed perita ista epistola à Doctore nostro commèmorata foliis sequentibus examinanda erit.

In

In cujus varia doctrina & eruditione ex ungue leonem licebit dignoscere.

Quando incideram in locum ubi de ungula leonis comparationem facit, putabam non disparatam etiam facturam comparationem, si de laudibus asini aliquid etiam dixisset, nec enim tàm ignobile est animal asinus, ut vulgus putat; Passeratius enim non obscurus Poëta, tùm Orator praeclarum tractatum de laudibus asini edidit, & in hoc forsan utiliorem operam praestitisset Reverendissimus Episcopus, quàm suffurando alienam pennam ad apologiam faciendam pro Natione sua, quàm nullus nisi mente laesus, Excellentem Dominum Davisonum laesisse judicabit, imò è contrà gratiae summae deberentur ipsi, qui turpi hac affectione gentem, ubi viget, exuit, & credere vix potuerim aliquem velle cum tanta acredine Excellentem Dominum Davisonum aggredi, quia plicam ex animabus credulorum delere voluerat, sed potius credam provenisse ex pruriente aliquo ingenio, qui aliquem pro objecto vanitatis suae habere ambiebat, ut aliis per ejus responsum merces suas pro elogiis elocare possit, aut ut toti Genti suam capacitatem in literis scribendis ostendat, aut ut se quasi solum in tota Polonia relictum esse ostendat, qui se opponere injuriae fictae auderet, & contrà talem, qui nunquam somniavit Nationem semper optimè de se meritam, verbo scripto nè quidem cogitatione laedere; imò qui potius omni bonorum officiorum accumulatione ambire videtur Gentem Polonam, dùm plicam non esse morbum demonstrat, nam hac ipsa ratione potentissimae genti utile & gratum opus facere videtur; Primò ut pateat exteris nationibus DEUM & naturam non dedisse genti Polonae defectum aliquem monstrosum, quo pro maledictione aliquâ ab aliis terrae regionibus distinguerentur. Secundò utilissimam operam se praestare arbitratur & muneri suo apud Ser. Sac. Reg. Majestatem appropriatissimam, dùm multos homines aliis gravibus affectibus sub umbra plicae cruciatos liberare & distinguere conatur; dùm enim infelici quadam consvetudine & parentum inculcatione tota gens ferè in consensum trahitur, omnes aegritudines ad plicam, quam immedicabilem tenent, remittunt; Unde fit ut medicorum apud plicosos nullus, vel raro usus sit, & ita tertia pars Polonorum Reipublicae fit defectuosa, quia est valetudinaria, & neq; in pace, nec in bello utilis, & quod pejus est, consilia Medicorum fugit, quasi contra plicam solam noxia essent. Quanquam Deus ipse Medicorum labores non inanes esse praedicat, prohibetq nè aegri ante curam è manibus Medici discedant quia opera ejus utilia esse testatur.

ſtatur. *Qui igitur plicam tenent immedicabilem, ſi plicam pro morbo teneant videant ne D E I teſtimonio obtrectent;* in mirabilibus enim & ſcientia hominibus traditis vult ipſe D E U S gloriari, tùm Medicos laudibus, præmiis, aut honorariis affici, & à prudentibus non vult ut deſpiciantur, eſt enim miniſter D E I corporeus, dariq; locum etiam Medico imperat, quia illum coronavit D E U S.

Non igitur potentiſſimam gentem lædit dum ſciſſionem complicatorum pilorum ſuadet, nec debet ſana ejus admonitio alicui eſſe ſuſpecta, nec ſcandaloſa, nec cogitat offendere aliquem dicendo, negligentiam eſſe cauſam complicatorum capillitiorum, nam dum hoc dicit, non intelligit ignavam, aut ſocordem negligentiam, ſed ſuperſtitioſam, credulam & à falſa opinione damni ſubventuri ſtabilitam à pluribus annis fixâ conſvetudine innatam; Itaq; querela iſta negligentiæ eſt nimis delicatula, & cuivis nationi propria, nec omnes iſto crimine inuri affirmat, ſed ruſticos & plebejos, qui maximè hoc defectu laborant, & qui nullam aliam cauſam dolorum plicarum, aut affectuum contrà naturam tribuunt, quàm maleficiis Dæmoniacâ arte accerſitis, proindeq; omnem Medicorum artem rejiciunt, & ad exorciſmata contendunt. Abſit, cogitet gentem negligentiæ nævo ullo inuri, multò magis ut conſequentiis imaginariis ineptè ab iſto ſibi ignoto objectis acquieſcat: quæ quidem non poſſunt niſi injurioſè ſibi attribui, & quamvis plicam meritò à morbi eſſentia deleat & iſtam opinionem, tot ſæculis, ut iſte Dominus Doctor aſſerit irreboratam, & à parentibus inculcatam, ab avis, proavis, atavis, tritavis propagatam & traditam deſtruat, & proveriſſima fabula teneat, quid hæc ad nationem? errores tàm mentis, quàm corporis ſunt vitia peculiaribus hominibus, non genti objicienda. Nulla natio eſt quæ non habeat hypochondriacos, ſtultos, fatuos, deliros, melancholicos, & ipſa etiam Flandria ſimilibus (ut video,) non caret, an propterea iſta vitia toti genti, ubi tales vivunt, imputanda erunt? Sani homines qui ſua ſcripta legent, invenient eum ſemper honorificam de natione æſtimationem habuiſſe, & adhuc habere. Immitiori ingenio præditus has conſequentias non niſi deliranti, inſano, furenti, ſtolido, ſtulto, & infrunito, non mentis compoti, nec ſincipitis ſani, ſed fatuo ut verbis ipſius Domini Profeſſoris utar, attribueret; imò aliquis eo immodeſtior civitatem ubi vivit moneret, ut ſtultam iſtam, infrunitam, inſanam, fatuam, credulam, ſtolidam opinionem de plica deponeret, vel alioqui è civitate ejiceretur, nè civitatem, imò forſan Provinciam totam contagioſâ plicæ opinione plicoſos ſuo exemplo reddat. Dominus

Davissonus tamen parcit, nec tantâ injuriâ præclaram Universitatem Lovaniensem afficere vult, ut credat tàm doctam, & sapientem cohortem corrigere Virum primarium suum Professorem voluisse, si eo gradu indignus fuisset, quamvis Dominus noster primarius Professor scripto publicè edito, tùm Reverendissimus Episcopus scurrilibus carcinomatibus illum Excellentem Dominum Davissonum sugillet & rodat, quibus convitiis majorem injuriam faciunt Sereniss. Sacr. Reg. Majest. quæ ipsum in seruitiis suis tot criminum reum ad Septendecim annos accusatum detinuerunt; Apparet jam sequela falsa, quam illi inducunt de Excellenti Davissono accusante causam plicæ Polonicæ esse ex negligentiâ pectinandi capillitia, quam ille non supinam aut ignavam accusabat, sed illam meticulosam, quæ à futuri morbi timore proveniebat, sed Nobiles Poloni & tota Aula Polonica cachinno ipsos accipient, neq; pro fucis nationi Polonæ venditis unquam illum accusabunt, neq; criminum sibi objectorum reum judicabunt Liberè & cum summa felicitate & honore Medicinam inter ipsos à Septendecim annis, imò & gratis exercet, contentus lauto & magnifico stipendio Seren. Majest. neq; pauperies sua ut vult Reverendissimus ille Episcopus unquam fuit illi onerosa, imò contigit illi Clitellis similium Domino Episcopo quàm sæpe onerari, sed jam percipit ipsum, & eos satis esse fortes, & illum satis longas habere aures, quia Lovanii Medicinæ studuit, ut possit permittere istas Clitellas, & cultrum suis lateribus & Medico suo affigi. Gallia quæ per triginta septem annos illum aluit testabitur eum ægrè ab illa dimissum esse, nec ipsum Polonia per mare, per terras pauperiem fugientem ad se vocavit, ut ipsi ineptè somniant, nec oberrantem per vicos quærentem in Polonia, quem devoret, recepit. Forsan ut ait bonus ille Episcopus adhuc non tam citò in locis Fidelium Episcopandus, sed à tali munere suspendendus quousq; meliores mores didicerit, nec Domini Davissoni fides unquam in quæstu fuit, sed ultrò & sinè pretio commoda omnibus; solo lautissimo Sereniss. Sac. Reg. Majest. Dominorum suorum Clementissimorum stipendio contentus, & ità toti Aulæ absq; ulla labe hucusq; approbatum fuisse constat.

S. T. E. G.

T.S.E.G. Epistola diffamatoria contrà Excellentem Dominum Davissonum & Nationem suam scripta, quia plicam è numero morborum separare voluerat.

CLARISSIMO EXPERIENTISSIMOQUE VIRO
VOPISCO FORTUNATO PLEMPIO
DOCTORI & PROFESSORI MEDICINÆ IN ACAD: LOV: PRIMARIO.

T. S. E. G. Benè & sibi & aliis valere.

IN nupero nostro colloquio quod de tuenda mea valetudine hoc opportuno anni tempore habui tecum Vir, Clarissime, cùm de variis morborum symptomatibus, eorumq; medelis te audirem, incidit etiam occasio de plica discurrendi affectione multorum in Polonia periculosâ, adeòq; pertinaci ut doctissimorum etiam opiniones hucusq; sed etiam nunc eludat, & cùm de illius circumstantiis loqueremur, ecce novum verè novum Caledonii fœtum ingenii audire mihi licuit; Dixisti Vir Clarissime Medicum aliquem Scotum nuper scripsisse de plica, ejusq; non aliam dedisse causam, quàm pectendi capillos negligentiam & ut sensibili objectioni respondeat, cur in sectione plicarũ sanguis quandoq; videatur vermium illum esse in capillis scaturientium, quos Heinsius non ità pridem singulari elogio honoravit. Si ignarus rerum scripsit, condolendum: sed turpe est Doctori: Si prudens retundenda calumnia plurimis plicâ laborantibus famosâ. Sed viderint alii nisi fortè fucos etiam venditare Nationi concedatur, quæ

 Per

Per mare pauperiem fugiens.

In Polonia pasſim quærit, quid devoret vicos oberrans viro tàm prudenti, tàm inſolens dicendi licentia minimè conceditur, cujus non in quæſtu fides ſed rei evidentia esſe debet: eaq; demonſtrari ſcientificè ut ab homine Doctore, more ſolito aliarum rerum ſenſibilium, ut potius rem per cauſam, quàm cauſam per rem intelligamus, & certè multos vel ſcelus fingit, vel invidia etiam doctisſimis ſupponit nævos, quos non detegit niſi tempus vel purgata innocentia, quandoq; tamen præſumptionem augere poteſt vel hominis, vel gentis conditio: uti de Scoto fortè Clitellario.

Cui fibula cultellusq; ſupellex
Patriota ſuus ovenus.
Qui modò veniſti noſtram mendicus in urbem
Paulum mutato nomine ſis Medicus.

Popularibus autem illis, etiam perfidia in Principem lucrum quærere funeſtus Regis optimi exitus non ità pridem comprobavit. Annales noſtri, & qui plicæ circumſtantias penitius introſpiciunt, aliam ejus dicunt originem. Florus Joachimi Paſtorii Polonicus lib. 2. cap. 14. narrat tempore Nigri Poloniarum Principis in Rusſia à tranſeuntibus Tartaris immisſis humanis cordibus, quæ veneno imbuerant, infectas aquas, nova morborum genera peperisſe, quorum ut cauſa diu fefellit Medicos, ità ſoboles hodieq; in inexplicabili tricarũ contage, quam plicam vocant creditur vulgò ſuperesſe; hujus Tartarici ſceleris meminit etiam Spondanus (Bzovium, Cromerum, Dlugosſium, & alios qui hiſtoriæ Polonæ vacârunt prætereo) Anno 1287. nnm. 10. [Cæterum inquit nè Rusſi quidem quanquam ſocii prorſus expertes malorum à Tartaris fuêre, nam excesſuri illi è Rusſia, ut eſt malitioſum hominum genus, atq; incantationum, & veneficiorum gnarum aquas omnes infecerunt, exſectis captivorum cæſorum cordibus & præſentisſimo veneno imbutis, ac verubus ſubter aquas defixis; unde plurimi mortales, cùm ſerius mali cauſa animadverſa esſet, miſerabiliter extincti ſunt,] non facit quidem hîc plicæ mentionem, ſed concors in Rusſia traditio approbat, plicam ab infectis illis aquis derivari, adjuvante etiam fortè Regionis temperamento, ut apud plerosq; illius tractûs incolas hæc affectio ſit malum quaſi hæreditarium,

ditarium, sic aquarum qualitas styriaca dicitur generare strumas, & cibos potusq; per sui digestionem, & continuam novi humoris accessionem alterare nostra corpora plùs quàm certum est; Sic de venenatis hominibus, qui serpentibus ad ultimos Ægypti recessus vescuntur, à multis traditur. Humor autem ille nocivus, pro varietate temperamenti in variis corporibus varius, si fortè largiùs in aliquod inflexerit, faciliùs totum corpus pervagabitur, ac ad ipsum radicale pertinget, &, velut in lebete aliquo calore nativo coctus, crassesset, concrescetq; corpori tantò difficiliùs expellendus, quanto solidiùs firmatus, quod si novo aliquo calore eoq; forti premetur intus diffundi quandoq; & evaporare poterit: ideò qui ab infantia hoc plicæ malum sentiunt plerumq; (non semper quidem ob defectum caloris debiti sed plerumq;) in adolescentiâ à plicâ liberantur, illa enim ætatis temperies caloris conservationi accommodatissima decoquit superflua, & necessarium tantum tuetur, ac fovet temperamentum. In senibus autem difficilior curatio, nisi ob defectum nocivi humoris vel propter exiguitatem sui lentè evanescentis, vel cibo sibi aut äere contrario sese dissolventis, sic plicâ laboranti caput radere in Polonia lethale; in Tartariâ verò si quis plicatus in eorum captivitatem devenerit rasura minimè nocet, bonitate climatis interueniente, vel inopiâ ciborum, laborumq; assiduitate, & sudorum accedente, hæc caloris nativi variatio variat etiam plicæ genus, alia enim mascula, alia fœmina dicitur, denominatio talis à ratione non deviat, cùm solers naturalium indagatrix antiquitas, differentiam quasi sexus, arboribus, etiam nonnullis plantis, lapidibusq; affinxerit, quæ fœmina totum patientis horibili spectaculo involvit caput, ut non tàm capilli, quàm villosus aliquis pileus, congenitus homini videatur, talis, quia ex nimiâ humoris viscosi fortè abundantiâ, & debiti caloris defectu oritur curatio plerumq; desperata, sed mascula quæ propendentes aliquot ad instar funiculorum plicaturas habet licet & illa ad scita hactenus medicamenta contumax, sæpè tamen sponte sua, consumpto fortè per calorum humore nocivo decidit, & patientem à doloribus & molestiis absolvit, sed neq; hoc perpetuum, ut vermes suprà nominati semper plicæ adhæreant: multos vidi laborantes plicâ à vermibus his immunes, inter alios virum Nobilem Po-

 lonum

onum Petrum Michaëlem Niesmierſki nomine, ferè ſexagenarium in alba Rusſia mihi vicinum, cui capitis pars ſuperior plica fæmina ad inſtar piloſæ pyramidis implicita nullum unquam habuit pediculum; imò nùm à vermium illorum moleſtia quandoq; vexaretur interrogatus, conſtantisſimè negabat, eamq; occultam ſibi tricarum illarum dicebat qualitatem ut ſi vivus aliquis de ſimili ſpecie vermis acceptus aliundè, plicæ relinqueretur, impoſitus necesſariò moreretur. Sive vis humorum illi contraria fuerit, ſive mercurius pediculum ſecundum multorum experimenta noxius, quo ille maximè quondam ob ignorantiam morbi (totus enim antequam malum in plicam emergeret contortus alterius affectionis præ ſe ferebat genus) curabatur, capillos virtute ſuâ tinxerit ignotum fuit omnibus: & ſecundum mihi maximè dubium, cùm illa medicamina, ante viginti & amplius annos ſumpta, loci, ciborum, ætatis mutatione debuisſent evanuisſe. Tùm quòd etiam in defectu mercurii, humor aliàs vitiatus & igne nativo calefactus, ſi nimium ſit acer & aduſtus, ac erodens (qualis eſt materia elephantiaſis: experientiâ verò conſtat elephantiacos non esſe pediculoſos) gignendis pediculis ſit ineptus, Aldrovandus lib. 5. de inſectis addit humorem talem adeò esſe naturæ animalium inimicum, ut nec mures, nec muſcæ eum guſtare audeant, quin inſtar aceti terram fermentet, teſte Medicorum Coryphæo Galeno, talis autem humor plicâ etiam laborantibus pro temperamento patientis poteſt contingere, quod igitur dixi à veneficiis Tartarorum hoc plicæ malum originem ducere certisſimum eſt, ſed & hoc conſiderandum: in remotisſimis quoq; à Rusſia rubra (cujus aquæ ut dictum infectæ) regionibus centum & ampliùs milliaribus germanicis ab ea diſtantibus hominibus etiam illis, quibus nullum cum Rusſis ſibi vel majoribus ſuis commercium intercedebat hoc malo torqueri ſæpè evenit occulto nobis regionis genio, debilitatur primò patiens, tùm capitis dolor acutisſimus, contortio membrorum, & mirabiles intercedunt cruciatus: & nî maturè proſpiciatur, exanimant: cùm verò neſciatur cauſa mali veneficia plerumq; incuſantur, vulgi fide. remedium his doloribus experientia docuit: decocto urſi branchæ cujus eſus in Polonia familiaris lavatur caput pa-

tientis

tientis aliquoties, & si plicari crines incipiunt, spes certa convalescentiæ, & omen finiendorum dolorum infallibile, plicas tamen exortas, indè vel evellere, vel resecare, vel atterere præsentaneum est periculum recidivæ & indebilitato corpore etiam mortis, vocatur Polonicè hic morbus Gozdziec, quasi clavicularius, quod corporis, capitis præcipuè clavis confixi dolorem æquet. En habes fidem plicæ, quâ mercatur Scotus ille Vir Clarissime involuti ex longo decubitu, vel pectendi negligentiâ crines causantne internum aliquem viscerum dolorem? contorquentne hominem?

Adimuntne aliis sua munia membris?

Qua tricantur facilitate, eâdem extricantur, & nulla sequitur alteratio; in plicâ contrarium, imò huic malo non crinium tantùm plicatura, sed etiam ungujum excretione portentosâ natura medetur; Non nullis enim si fortè contrarius incapite prædominatur humor venenum illud in ungves educitur, prodeuntq; contorti, nigri, crassi à formâ solitâ & colore humanorum ordinario, alieni: datoq; casu, hos etiam ut capillos, præscindere, æquè periculosum, attamen bonus ille Doctor, negligentiam pectendi capitis huic malo imponit causam, & fortè multis imposuit, hoc certum quòd capillos ad numerū frangere, & mollitie cincinorum cum mulierculis certare à decore nostro, uti virili, sit longè alienum. Non curamus itaq; Poloni hæc prostituta excrementorum capitis ornamenta, sed illa magis, quæ sunt de necessitate naturæ, ipsa illa 1. Cor. 11. 14. docet nos, quòd Vir, si comam nutriat, ignominia est illi, mulieri pro velamine dati sunt, sed quis Hercules Augiæ stabulum expurgabit? dum modò.

Sint procul á nobis juvenes ut fæmina compti.

Honestas capillorum apud nos non muliebris: Sed & glabriciem totius capitis, Turcis Moschisq; usitatam incusamus: medium pro more gentis & virili decore retinemus; caput semper pectimus, sæpè lavamus, nec illud frivolum curatur à nobis:

Caput ablue nunquam.

Curent illi qui beneficia intellectûs lotione capitis abstergi timent, & ut retineantur fortiùs inspersis cineribus cutē indurant, majus itaq; periculum involutionis capillorum vel ex longo decubitu

vel

vel pectentium negligentiâ Scotis deberet esse vel aliis satyraceis capitibus cum rudioribus plerumq; illis, neq; pecten sæpè ad manum, neq; ille accuratus capitis semper cultus. Hæc sat de plica quâ se miserrimè vir ille bonus implicavit, & si quam antea taciturnitas illi comparaverat authoritatem, imprudens quâ se prodidit scripturâ, tortum illius ingenium, & stultis compositum mendaciis Europæ explicabit. Tuum restat Vir Clarissime, ut pro illo quo semper flagras eruendæ defendendæq; veritatis amore, falsa & commentitia Scoti illius ostendas orbi, ut videant omnes docti maximè illum esse barbarum qui indebitè Polonis negligentiæ pectendi capitis inurit barbariem; & imperitè, temerè, maligneq; scripta doctis tuis uti soles rationibus convincas. Vale, & omnes diutissimè benè valere jube Lovanii. Anno 1662. Junii. 7.

Responsum ad Epistolam superiorem.

Et si invitus, extremaq; necessitate coactus, si quisquam alius, faciam ut hujus Epistolæ calumniis respondeam, tamen benefactoris mei bonæ famæ non desinam subvenire, & quam possim sedato animo, & passioni meæ vim imponere conabor. Interea quæ conquerendi occasionem mihi pro amico præbent, fideliter toti mundo aperiam. Contigit Excellenti Viro Domino Davissono antè paucos annos prodromum, tùm commentaria in Petri Severini Dani sublimis Philosophi tùm Medici eximii Idæam Philosophicæ medicinæ typis publicis emittere: Sed quùm propter excusabiles rationes, in Authore isto plurimæ obscuritates laterent, quæ peritissimorum Scholæ Peripatheticæ Professorum ingenia eludebant, obicem omnem dimovere conatus fuit jaciendo fundamenta doctrinæ Platonicæ, & Veterum Philosophorum (quæ jam dudum à Scholis publicis exulavit) ut unicuiq; sed præcipuè Hyppocraticæ doctrinæ Studiosis, quam fuerat ille necessarius, innotesceret. In loco quodam Authoris, quùm de transplantatione loqui sibi contigerit, quam in vulgari Medicina metastasin, aut pravam epigenesin vocamus, non potuit omittere, quin aliquid de plica Polonica nationibus peregrinis ineptè relata veris suis coloribus depingeret. Ecce Theodorus Skuminovius Reverendissimus, sed adhuc in partibus infidelium Gratianopolitanus Episcopus instigat Vopiscum Fortunatum Plempium Universitatis Lovaniensis Medicinæ Professorem primarium, ut contrà illius

de

de plica sententiam calamum suum acueret, sicut ex ejus epistola videtur. Sed dùm non potuerit doctrinam de plica destruere, quam ille in Nationis utilitatem, & probri vindictam instituerat, Ecce Skuminovius opem ipsi fert, & ut nævus nationi suæ impositus injuriosè, & in ejus dedecus per totum orbem sparsus in æternum permaneat, contendit, illumq; in Polonos malè meritum fuisse, (quod ab isto specioso defectu compatriotas suos liberare voluerit) accusat; quùm tamen è contrà sani homines eum summâ laude dignum æstimabunt, & non falso sibi imponent, injurias in gentem illatas, quòd plicam esse superstitiosarum mulierum commentum teneat. Unde Plempius addito Herclè vocabulo ridiculo, & exoleto confirmat esse audax, & intollerandum facinus. Quare non addit ille literarum imperator: ô scelera, ô mores, ô genera sacrilega quare non pol, mecastor, poledopol, & omnem comicorum fidem, aduocat, quare Junonem, Lucinam non invocat, ut parturienti infamiam inopi, misero, & innocenti subveniat; debet addere: ô facinus magnum & memorabile, Dii vestram fidem succurrite, & in istum plicomasticem ruite, prosternite, agite, tondite, quia plicam voluit à morborum cætu distrahere; sed videbit Herclè in angustum oppido cogi suas copias, quamvis vix compos animi sit, cùm ità ardeat iracundia, absq; ullo veræ causæ fundamento, dùm calumniis Excellentem Dominum Davissonum virum innocentem & apud gentem ubi vivit onerat, & nisi probè cognosceret gens ista strenua & potens & in eum benè merita, quantùm illorum civilitati esset adstrictus, nescio quid illi & aliæ etiam nationes de ipso crederent, præcipuè quùm Sectione octava capitis septimi de Trichomate talia verba edat:

Ab homine alienigena Nobilem, potentem, strenuam, ingeniosam gentem, à cujus Magno Rege, Reginaq; lautissima meret stipendia scripto publicè edito traduci quia nempe plicam pro morbo non numeret, rogarem, annè hoc sit nationem offendere, aut traducere, dùm causam plicæ nullam aliam, quàm intermissionem extricationis capillitiorum per pectinem constituerat, & verum quidem est, sed intermissionem istam provenisse à segnitie aut socordia nunquam asseruit Excellens Dominus Davissonus, sed à timore & metu infortunii subventuri, ad quem fovendum parentum consuetudines fallaces, & deceptoriæ observationes plurimùm contribuerunt; tùm paucitas Medicorum, quæ aliter informare gentem in re medicâ minùs versatam prohibeat; omnia hæc possunt absq; ulla gentis offen-

sione affirmari & absq; consequentiis istis ineptis, iniuriosis, non solùm contrà Nobilem, strenuam & potentem & ingeniosam gentem; sed contrà Personam Excellentis Domini Davissoni objectis, & eò usq; ut stolidam, stultam, & infrunitam, delirantem gentem teneat, quia plicam pro morbo non tenet est pulchra consequentia. Poloni aliquot laborant plicâ, ergò ille qui plicam à morborum genere separat, gentem esse stolidam, stultam, infrunitam & delirantem dicit, & quia dicit immeritò morbi nomine insigniri. Sed ad aniles fabulas referri, propterea aliter sentientes eosdem judicii & mentis non esse compotes, nec sincipite sano; & ut paucioribus verbis omnes istas falsas consequentias contrahat, fingit Excellentem Dominum Davissonum asserere se esse alterum Hippocratem è longinquo accersitum, ut insanienti Democrito opem & salutem *adferret & omnes istæ falsæ consequentiæ inducuntur, quia Poloniam à plicæ nævo liberat. Interea multùm vereri debent, tàm Instigator Skuminovius, quàm Infortunatus Plempius audire, quàm malè agatur in mundo de illorum in hoc casu judicii fama, sed à dolore isto me componam, quousq; singulis articulis Epistolæ Domini Skuminovii respondeam, qui in ipso vestibulo loquitur*, de morborum variis symptomatibus, eorumq; medelis *aliquis me insolentior diceret eum curam animarum velle relinquere ut morbos corporis aggrederetur, sed hoc essetne ab equis ad asinos velle descendere? & videri omnium rerum sciolus juxta illud Poëtæ:*

Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Scenobates, Medicus, Magus omnia novit.

Nam affectione, ut ait, multorum in Polonia periculosa, adeoq; pertinaci ut doctisſimorum etiam opiniones huc usq; sed etiam nunc eludat. *Vox popularis sola à longa consvetudine stabilita, vix primis annis eradicatur, præsertim quando in totum pene orbem sub prætextu aliquo specioso spargitur, & qui velit prima fronte insanas istas consvetudines delere, nihil minùs faceret quàm si torrenti humeros opponeret, nè ad mare decurreret. Dominus Davissonus quidem primo istis difficultatibus sese objecit, sed fractâ glacie venient post ipsum, qui funditus eas evellent, & Polonos ab hoc turpi nævo liberabunt; Plica enim est voluntarius morbus, si morbus debeat dici, & nullus habet nisi qui non velit carere; nam affectatio credendi absq; ratione ea, quæ fama inter vulgus sparsit, illam genuit, & fama alas à credulitate suppeditavit, & ut cum Oveno dicam:*

Rumor

Rumor rumores, errores parturit error
Vt nivis exiguis crescit eundo globus.

Et cum Marone

Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo
Tam ficti praviq; tenax, quàm nescia veri.

Plicam enim ut sobolem fama genuit, amploq; progressu auxit, quia non habuit Medicos, sed plebem Authorem, quæ quidem non pura ratione, sed affectu & desiderio summo natos suos enutrire solet proinde fingendo credunt, & credendo fingunt, & quicquid audiunt credunt se vidisse, & quod vident augent, & extollunt, imò assuefactio seu affectatio videndi insveta deformia, & delira falsaq; spectacula inducunt mentes hominum, ut primò æmulentur quæ affectant, & ità quæ prima vice apparent deformia, assvefactione longâ pulchra solent apparere, ità peregrina primâ facie displicent, posteà appetuntur, ità plicosi primò visu apparent horridi. consvetudine postea contagiosa mollescunt, ità ut si unus plicam in pago gerat, postea plures volunt habere, & tandem omnes, sed nimis serò in ejusmodi deliria animadvertitur, præcipuè si sub Authoritate virorum fide dignorum ad plebejos descenderint hæc sunt enim:

Veluti vatum somenta furentum
Mos quibus est semper varias effingere nugas
Ut stolidas dictis delectent talibus aut res
Qui facilis credit, facilis quoq; fallitur idem
Sic stulti verum fugiunt, & falsa sequuntur.

Et cum de aliis circumstantiis loqueremur, ecce novum Caledonii fœtum ingenii audire mihi licuit, dixisti Vir Clarissime Medicum aliquem Scotum nuper scripsisse de Plica, ejusq; aliam non dedisse causam quàm pectendi capillos negligentiam.

Hic Titulus Caledonius, quem tu instigator tàm superbè de dignaris est parasceue ad sequentia, quia tu conscius pravæ tuæ causæ vis non solùm Generosi Davisoni personam, sed gentem etiam suam, & meam digladiatorio animo invadere relicta causa tuæ defensione, à qua plurimum decedis.

Et ut sensibili objectioni respondeat cur in sectione plicarum sanguis quandoq; videatur.

Sed antequam ulterius progrediar aliquis me impatientior pro ridiculo

Dominum Skuminovium traderet audiendo illum de sua gente ità pueriliter disserentem, sed prius ipsum ad Poetæ consilium remitto.

Verum Sive rogas aliquem, seu fortè roganti
Responsurus eris, prius ipsam consule mentem
Quàm vox exiliat quæ postquam est edita retro
Haud remeare potest, verbum semel ore soluto
Emissum longè, nequit ad sua claustra reverti.

Et primum quidem, cùm hæc verba legerem, putabam hanc sensibilem (ut ait) sanguinis effusionem Excellentissimo Domino Davissono objici à Domino Skuminovio, ut sensu ipso eum convinceret: Cùmq; transirem ad sequentia verba: Vermium illum esse in capillis scaturientium quos Heinsius non ità pridem singulari elogio insignivit. *Quid sibi vellet Episcopus intelligere non poteram, neq; quomodo antecedentibus aut sequentibus illa cohærerent, neq; quis eorum esset sensus rithmus & mensura, & sanè hac labyrinthea confusione ità iam afficiebar, ut propè stomachum faceret (utinam etiam sinè hoc non fecisset)* ista elegans & perdocta epistola è qua (*nè plempij elogio fraudetur*) velut ex ungue leonem, variam atq; abundantem Episcopi doctrinam eruditionemq; animadvertere cuivis licet. *Sed in tempore remedium attulit nauseabundo Philologus Plempius: refert enim cap. 7. sect.* 10. *à Domino Davissono dictum esse, punctos illos capillos sanguinem non effundere, sed de furfure, pediculis, spurcitia, inhonesto fætore totius capitis eundem prodire: itaq; hoc ipse inter alia Episcopo narravit. Hinc statim cognovi, quid ambagibus illis significaretur: nempe inquit Dominus Skuminovius sibi relatum esse à Plempio, quod Scotus ille negans plicam, ut se expediret à sensibili illa objectione, autumabat sanguinem in plica discissa effundi ex vermibus in capillis scaturientibus quem ego verborum sensum divinare aliàs potuissem nunquam duabus de causis, primum quia nunquam Dominus Davissonus asseruit hoc, quod ei affingitur à Plempio sicut ostendam, quando in examine eorum, quæ dixit Plempius declarabo ab eo perperam intellecta fuisse verba Domini Davissoni, non hic solùm sed etiam alibi, quamvis non ego negem, posse aliquando forfices, quibus plica scinditur sanguine pediculorum in capillis catervatim existentium infici. Secundò quia adhuc in illa periodo elegantissimæ epistolæ Skuminovialis aliquid pro integro sensu deest, debeat enim dicere:* & ut

sensi-

sensibili objectioni respondeat, cur in sectione plicarum sanguis quandoq; videatur, asseruisse vermium illum esse in capillis scatu-rentium. *atq; ita integer & dilucidus sensus fuisset, sed quid mirum si aliquid ex integra periodo detraxit eo tempore Skuminovius, adeò enim ejus mens turbabatur, ac titillabatur ab ideis vermium, quos Heinsius celebravit, ut vermium, periodiq; verminalis caudam à capite discernere vix ipse potuerit, ac proinde non periodum solam corruperit, sed pro pediculis à Plempio narratis, capillorum vermes apposuerit, ex una falsa hypothesi ad aliam falsam delabens. Hæc ergo præterire non possum, quin prius rogem Reverendissimum Skuminovium, utri majorem referre gratiam debeat Polona gens, Episcopò ne Polono, qui fœdum hoc capillorum vitium fœdissima sobole animalculorum geminatum, Polonis ingenitum, regionisq; natura productum esse mordicus tenet, & quasi pro aris focisq; pugnet in reclamantes acriter invehitur; An Scoto Medicinæ Doctori eruditissimo, qui rei veritate per ingentes labores, ac diuturnam experientiam rationi additam comparata vitium illud non ingenitum, ac indelebile, sed ascititium, ac ipso spretu superabile esse contendit? sed adeò fædum esse vitium negabit Skuminovius; pediculos enim statim in vermes ipse coget evadere, quos turpes ac spernendos amplius non esse asseverabit, ex quo eos singulari, egregioq; elogio celebravit Heinsius. Certè nè ingrato sint animo, maximam referre gratiam Heinsio debet universa Respublica vermium, cujus beneficio ex despectissimis quisquiliis in honestissimam nobilitatem relati fuêre. Sed tamen pediculi nunquam erunt vermes, neq; vermes pediculi. Tu verò Skuminovi de genere in genus transis, quia pravus es Logicus, & adhuc pravior Medicus: at minus, Infortunatus Professor tuus te monere debuerat, nè istum errorem in lucem ederes: sed præpostera tua festinatio à pruriente tuo ingenio nata voluit accelerare impressionem libri tui diffamatorii ut novos tuos titulos propalares. Scire igitur debes vermes esse capiti ἀπροσφυτα hoc est toto genere pugnantes cum ipsa natura, capitis & nunquam in capite reperiri, nisi in materia putrescente, & tunc non dicuntur vermes, sed σκώληκες quæ distinguuntur suis specificis qualitatibus. Ità sunt singularum arborum vermes, qui vivere non possunt in aliena arbore. Ita vermes in corpore humano, qui in quibusdam intestinis generationem, alimentum, vitam, ac accretionem accipiunt, in alio moriuntur: & ex his moritur ascaris in tenui inte-*

 stino

stino quia non est ὑπόσφυτος *superiorum intestinorum.* *Nati vermes ab excremento chyloso vocantur* ἑλμινθες, στρογγύλαι *lumbrici rotundi 3. aph. 26. in ano ascarides sunt etiam rotundi vermes, qui per tota intestina extenduntur. Reperitur quartum etiam genus, quod tineam vocant, & talem Plinius asserit vidisse longum triginta cubitis, & Valeriola novem pedes; quod vermium genus his etiam temporibus non pauci viderunt. Tales autem in crinibus ali non possunt vermes, quùm in crinibus non habeant, unde alantur. Sed veri simile est, Skuminovium in docta sua epistola pediculos pro vermibus intellexisse, fultus forsan gentis idiomate, quo forsan vermes pediculi, & pediculi vermes appellantur. Seu veriùs vult Dominus Skuminovius altâ suâ mente imitari summos viros. Nam quia Plinius, & cum eo dictionaria aliquot græcum vocabulum* ἕρπετα serpentem *ineptè vertit, quùm vertere debuisset* Pediculum *ut reprehenditur à Cornario in commentariis, quos edidit in doctissimos libros Gal. de composit. med.* κατατόπους *sic Skuminovius vermes & pediculos, & serpentes pro uno animali ineptè exponit. Revideat igitur suum Calepinum, & addiscet vermes reperiri & nasci in arboribus, in fructibus, in c. cadaveribus, in intestinis animalium, in auribus & naribus. Lumbrici dicuntur vermes, nec ullam habent similitudinem cum pediculis, quid dicetur de phtiriasi? Sylla Dictator & Herodes phtiriasi interierunt, nascuntur autem pediculi in interiori cute, ut in epidermite furfures. Capitis pediculi sunt nigricantes; dorsi verò pediculi albi, sed nunquam in capite reperiuntur vermes, nec in capillis, nisi aliun-de deferantur.*

Si ignarus rerum scripsit, condolendum: sed turpe est Doctori. *Gravia profectò verba & succi plena sententia, imò & planè censoria, sed heusquàm ineptè prolata! quæ enim plicæ ignorantia præsumi potest in homine, qui tàm multos annos in Polonia Regibus ipsis ac Magnatibus medicinam summa cum existimatione dùm fecit, ut Polonis optimè de se meritis prodesset, sedulam operam in plicæ natura investiganda perpetuò adhibuit. Turpis certè hæc illi esset ignorantia, & propterea haud ità facile eidem objicienda, qui præsertim doctissimis libris in publicam lucem editis universæ Reipublicæ literariæ ità suam probavit sapientiam, ac omnigenam reconditissimarum eruditionum peritiam, ut nulla ei inscitiæ labes in rebus præcipuè, quas quotidie oculis videt, & manibus palpat, inuri ab ullo possit. Caveat ergò sibi Dominus Skuminovius, nè quam ignorantiam Doctissimo Viro affingere*

ini-

iniuriâ conatur, eâdem sibi meritò objectam sentiat. Tunc enim verò condolendum seriò fuerit elegantissimo epistolarum Scriptori, quod ut hanc peritiam mundo patefaceret, aliâ scribendæ elegantis epistolæ, quæ publici committeretur typis, materiam nactus non fuerit idoneam, quàm eam, quâ inconsultam, ac temerariam aliarum rerum imperitiam patefaceret, seq; procacem, malignumq; obtrectatorem ostenderet, & ingenuorum juxtà ac doctorum hominum conviciatorem, quos dum provocaret, eandem ab aliis reciperet jure merito mercedem. Parcas igitur, rogo, tibi Domine Skuminovi dum generoso Domino Davissono condolendum censes, si enim quem dolorem tuarum admonitus ineptiarum dolere debes, huic dolori condolentiam addas pro aliis, facile ex geminatis doloribus, ut absorbearis continget: cui postea rei causam attribues mœrores tui qui mortem inopinam inducere potest, tùm etiam plicam. Studuisti Lovanii, nosti satis, quid possit mœror & tristitia? sinè manifesta causa, si non mortem, saltem hypochondriacam passionem inducere potest. Videat ergò Reverentia tua, quàm sim pronus reddere bonum pro malo, interea ille certo novit & certa scientia & experientia confirmat, nunquam simile quid in rerum natura fuisse repertum relationi tuæ de plica.

Si prudens retundenda calumnia plurimis plicâ laborantibus famosa. *Ego igitur Plicomastix calumniam plicâ laborantibus, & plicâ laboraturis inustam, retundam; caveat igitur Reverentia, nè tandem in tuam Reverentiam excudatur ista faba, & nè sapiens aliquis susurrando hoc Poëtæ consilio castiget:*

Atq; ea nè dicas quæ nil referre videntur,
Nec verba in cassum, & nulla ratione profundas,
Nam te ridebunt homines, fatuumq; vocabunt.

Sed viderint alii, nisi fortè fucos etiam venditare nationi concedatur quæ per mare pauperiem fugiens.

In Polonia passim quærit quid devoret. *Videtur hæc eruditissima, sed potiùs stulta epistola transire ad Nationem suam, dùm dicit in Polonia fucos venditare aliquibus concedi, quærendo passim quid devoret, vicos oberrans: hoc est insulsum scomma, quo sibi aut nationi suæ concedatur fucos venditare. Qui excellentem Dominum Davissonum norunt, testabuntur nulli unquam aliquid vendidisse, Medicinam pro Ser. Sac. Reg. Mttibus exercet, sed aliis absq; pretio. Miror Reverentiam tuam quæ fucos toti*

mundo

mundo exponere ambis, dum plicam, quam tu non intelligis, pro morbo exponere conaris, & contrà illum, qui plicam explodere conatur. Et tamen plebe jorum suæ nationis merces pro fucis accusas, quare non manes in thesi? quare non impugnas suas observationes contrà plicam? quare tuam falcem in alienam messem introducis? quid tibi cum medicis cùm sis omnium hominum in Medicis ignavissimus? quid habes causæ contrà Excellentem Dominum Davissonum aut ejus Nationem? Hæc ne decent virum gravem? Pauperies lepræ species, non vitium. Nam sicut pauperes omnium nationum, inter divites aliarum nationum versantur, ità divites facilè suas commoditates inter pauperes adipiscuntur, & sine pauperibus vix commodè vivere possunt. Natio mea est fœcunda, & plures producit homines, quàm alere potest; inveniuntur enim Patres qui triginta liberos alere visi sunt. Nec desertis locis nec silvis repleta est, sed fortibus hominibus, tàm pro bello, quàm pro pace aptissimus. Itaq; tàm plena est suis incolis, ut nisi singulis annis spontè regio se ipsam exoneraret, vix tertia pars in ea viveret. Proinde seniores Fratres, in Patria manent, juniores verò exonerant Patriam; quia juxta leges Gentis nullam vel exiguam in Parentum hæreditate partem prætendere possunt. Et si aliter esset, antiquarum familiarum in Scotia nulla esset memoria; familiæ enim antiquæ hoc jus habent, ut domum & hæreditarias terras, non nisi primò natis relinquere possint; juniores verò cùm in eodem honoris gradu cum parentibus manere non possint, nisi tàm degenero animo sint, ut fratri seniori mancipari, aut sortem ignobilium in sua gente (quod turpe est) eligere velint, Juniores, inquam, peregrinas totius orbis nationes invisunt, & aut Marti, aut literis operam navant, potiùs quàm ut obscurè inter Nobiles consanguineos, & compatriotas vilescant, aut Seniori Patri inserviant. Itaq; in militia Gallica, jam à mille & quingentis annis floruerunt, & præ insigni in Reges fidelitate custodiam corporis serenissimi Regis, exclusis omnibus Nationibus, obtinuerunt; imò & Capitanei hujus guardiæ clavem cameræ in custodia habebant, imò nulla fuit celebris victoria à Gallis contrà alias nationes adepta, quin Scoti bonam aliquam partem victoriæ habuerint; imò multi ex istis Junioribus fuerint Vice Reges Neapoli sub Gallis, multi in Gallia Comites stabuli, multi Marascalli, qui omnes strenui & fideles homines Regi & Regno æstimati fuerunt. Et tamen tuus Plempius hanc tuam epistolam diffamatoriam eruditissimam vocat,

quam

quam stultam ego voco; stultitia enim inscitiæ Parens est, & Filia; Nam si sequens veritas tibi nota fuisset nationem in te nunquam malè meritam, non denigrasses.

Juncta Calidoniæ tot sæclis Gallia Genti,
Officiis, pactisq; & legum Compote fratrum
Subdita de hinc sceptris animo côalescit & undis
Quos mare, quos vastis cætum spatiisq; solúmq;
Dividit hos populum concordia vexit in unum
Æquæva æternis cæli concordia flammis.

Sic in militia svetica hisce modernis temporibus habuit quatuor vel quinque generales exercitus, Sic Hollandia semper habuit, & adhuc habet multos strenuos; imo & non pauci reperiuntur ex istis, qui non ad contemnendum militiæ gradum ascendere reperiantur; quo gradu apud externos sæpè grati commoriuntur, aut in senectute Regi & Regno utiles ad patrios redeunt lares, pari avorum & atavorum honoris gradu convicturi. Novit polonia in prælio Turcico tempore Ser. Sac. Reg. Majestatis Sigismundi, & piæ memoriæ Ladislai quos præclaros scotos habuerat Collonellos, & qui vitales Spiritus pro illorum servitiis expenderant.

— — — — — Sinè milite Scoto
Nulla unquam Francis fulsit victoria castris
— — — — — Scit belliger Anglus,
Scit ferus hoc Batavus, testis Phaëtontias unda
Nec semel infaustis repetita Neapolis armis
Substitit hic Gothi furor, hic gravis impetu hæsit
Saxonis, hic Cimber, superato Saxone & acri
Perdomito, & neuter Cimbro, si volvere priscos
Non piget annales hic & victoria fixit
Præcipitem Romana gradum; quem non gravis Auster
Reppulit, incultis non squallens parthia campis
Nec æstu Meröe, non frigore Rhenus, & Albis,
TardavitLatium remorata est Scotia cursum.

Qui autem literis nauârunt operam, istam sortem elegerunt silentibus armis, inter quos plurimi spectatissimis Europæ totius ingeniis præluxerunt, ut paucos solùm designem in Theologia & Philosophia totus mundus novit,

quantùm valuit Joannnes Duns Scotus quantum in Poesi, Buchananus cujus ingentis laudem carmina sæpiuscule hinc inde usurpata præ venustate & pro veritate commemoror. imo omnibus qui vel leviter in historiis tincti sunt. Notum est Carolum Magnum ad Regem Scotiæ scripsisse, & rogâsse ut ex scotia viros in omni scientia eruditos ad prima universitatis Parisiensis fundamina jacienda transmitteret, ex quibus aliquot ad Principis institutionem admittebantur. Minoris verò sortis Filiis illiberales artes prosequuntur. & fiunt Mercatores, qui honesto lucro apud peregrinas Nationes victum quæritant non fuco nec fallaciis viros oberrantes, ut quærant passim quos devorent, sicut injuriosè & invidiosè Reverentia tua calumniatur, imò & mercatura est ipsis aptior quâ per virtutem possint sibi, & genti, ubi manent utiles esse, quàm in otio marcescere, aut turpis servitutis speciese sese subitcere; Et quod maximè notandum est, nunquam videre mihi accidit Scotum ex generosa familia natum decalceantem Dominum suum, quamvis fame marcentem sese sentiret: aliquot eorum forsan contra indolem Nationis honestam mercaturam exercere videntur. Sed viliorem conditionem, quàm quæ in aliis regionibus exercentur, hoc est, aut sequentes equos dominorum suorum, aut illorum strigillantes equos, aut calceamenta detrahentes nunquam mihi videre licuit.

His aliisq; modis multis solertia lucrum
Illis ostendit, qui non torpere veterno,
Sunt soliti, quos dulce malum, blandumq; venenum
Desidia, atq; animi languor, non reddit inertes.

Proinde Poëta Lyricus sic de Mercatoribus sensit.

Impiger extremos currit Mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

Viro tamen prudenti tàm insolens dicendi licentia minimè conceditur, quibus non in quæstu fides, sed in rei evidentia esse debet.

Transit iam à natione Domini Davissoni ad ipsius personam, sicut canis ab ossibus ad ovile, quamvis sibi prorsus ignotam in cujus recordatione fuerit. Tamen vix credo Reverendissimum Episcopum voluisse tàm acerbè hominem sibi ignotum aggredi, quod si decipior, consilium bonum pro malo retribuam.

Iram pelle procul, tecumq; superbia non sit,
Verùm te mitem, blandumq; ostende, placebis
Omnibus hoc pacto, ut si te quis læserit, ipsum
Ingenio studeas plùs, quàm superare furore,
Ingenio viros cedunt, prudentia victrix
Cuncta domat: rabidæ Tygres, tumidiq; leones
Mansuescunt arte, arte rates vasta æquora tranant,
Arte gerit turrim Barus, juga Taurus, & arte
Asper equus tolerare equitem, frenosq; jubetur,
Viribus ingenium moderatur cuncta ministris.

Interea dicit prudenti virò tàm insolentem licentiam non concedi, cujus fides sola debet esse non quæstu, sed in rei evidentia nunquam plica curam vendidit alicui quæstus gratiâ; multos curavit Philosophicis rationibus, nullis autem remediis usus est, sed sola scissione: quod non fecisset si quæstum aliquem inde voluisset facere, Eaq; demonstrari scientificè ut ab homine Doctore more solito aliarum rerum sensibilium, ut potiùs rem per causam, quàm causam per rem intelligamus. *Jam à pedanismo ad philosophiam enthusiastico furore raperis. Dicis enim evidentiam rei debere demonstrari scientificè, ut ab homine Doctore more solito aliarum rerum sensibilium. Sed si Reverendissimus Episcopus benè didicisset posteriora Aristotelis Analytica, scivisset rerum sensibilium non fieri demonstrationes sed probabilitates. Bona enim demonstratio constat ex primis veris & causis conclusionum; quæ dici non possunt de rebus sensibilibus, quæ non sunt vera entia, sed imagines entium. Redeat igitur Reverentia vestra Lovanium & operam melioribus literis tradat; vera enim sapientia non addiscitur stertendo, nec per regiones peregrinas pædagogisando, ut sciatur quota sit hora; nec consistit in sola linguarum peritia, in qua pueri hujus sæculi sunt peritiores senibus. Nunc redis e Gallia, credo te meliores didicisse mores, si post reditum cloacam istam injuriarum evomuisses, pro incorrigibili omnibus digito demonstratus fuisses, sed forsan excandescet Excellens Dominus Davissonus in me, quòd ejus sapientiam, eruditionem, civilitatem omnibus Gallis, Aulæq; Polonicæ perspectam, tuæ reputationi immiscuerim.* Et certe multos vel scelus fingit vel invidia etiam doctissimis supponit nævos.

 Scelis

Scelus ergò ex tuis verbis in eum primò scelerata finxit, in nostramq; Nationem, quam tu temerariè nimis dilaceràsti, cujus comitem fecisti, & rectè invidiam; interea lege quid sit invidia.

Invidia horrendum monstrum sævissima pestis,
Exitiale malum, quo non violentius ullum:
Virtutem insequitur, lacerat benè facta, bonosq;
Odit, & alterius justo indignatus honore.

Quos non deteget nisi tempus, vel purgata innocentia. *Sed Reverentiam vestram tàm multa ex Philosophia, ex Poësi, & ex Politica congerentem in Dominum Davissonum, ejusq; nationem, liceat mihi interpellare, & interrogare an Reverentia vestra judicaret hominem (qui per Scelus & invidiam proximo suo innocenti pravam aliquam actionem affinxerat fecisse diabolicam actionem? Sed tàm Christianam de Reverentia tua habeo opinionem, ut credam veritatem hujus assertionis facilè admissuram, præsertim dùm asseris nullum esse remedium pro calumniis destruendis, præterquam tempus, aut purgatam innocentiam; quæ serotina est nimis medela pro tam pertinaci morbo. Plurima enim & perniciosissima symptomata evenient ægro priùs, quàm infamia innocentis auferatur, hoc nónne est diceret aliquis, illud Diaboli axioma authorisare? Columniare audacter, semper aliquid hæret. Certè non credo Reverentiam tuam unquam talia scripsisse, tamen in omnem eventum utere consilio Poëtæ, & refræna linguam.*

In primis studeas moderamina ponere linguæ
Et cave quid dicas, semper libentiùs audi,
Raró antem loquere: est mentis gravitate carentis
Judicium sermo nimius, peccatq; frequenter
Multiloquus: verùm parcè, cauteq; loquentes
Laudantur: decus est ingens prudentis in ore
Præsentem, absentemq; aliquem nè læde loquendo.

Quando tamen præsumptionem augere potest vel hominis vel gentis conditio. *Ex præsumptione igitur conditionis gentis suæ, tùm ex se ipso scelera affinges? Imo ipsum sceleratorum Scelectissimum fingis ut sonant tua verba & multos alios præter se sceleratos præsupponit, aut per invidiam probis nævos supponis, quos purgatam innocentiam vel progresfum temporis detegere dicis. Pulchrum viri Ecclesiastici edictum! quo tam vilissimis opprobriis ex sola præsumptione Virum probum*

probum oneras, ubi mansvetudo? ubi pietas? ubi charitas quæ de proximo suo benè judicare debet? & quod ad illum pertinet, tempus omnia, quæ hactenus de se detegenda essent, detexit. DEUM precare, ut ad ejus ætatem pervenias cum tanto honore, ætas ipsius septuaginta annorum consumpta ad quinquaginta annos extra nativum solum, è quibus potentissima, & civilissimá Gallia illum per triginta septem annos honorificè aluit, & testimonium de se præbebit, quàm semper vituperiis à te in illum prolatis exemptus fuerat. Et quam apud illam absq; labe vixerit; Inservivit iam tribus Regibus cum honore, primo stipendio Ser. Regis Angliæ pro legatis suis in Aula Gallica residentibus; Deinde vocatus fuit pro Professore Regio in Chemiæ Theoria & praxi, & in Botanicis Lectionibus, cui adjuncta fuit præfectura domus, hortiq; Regii cum stipendio annuo duodecim millium florenorum, & pulchro amplissimoq; palatio, ubi vixerat. Quæ omnia per authentica diplomata Regia demonstrari possit, eo forsan tempore, quo Calumniator ejus adhuc pædagogiam suam vix inceperat. Inde huc vocatus in Poloniam, imò ad tredecim annos tertio Regi inservit, nec unquam prima vice de aliqua indigna sua statione culpa reprehensum fuisse contigerat, plura in te & mores tuos dicerem, nisi me prohiberet ratio & probitas. Interea sequere salutaria mea consilia, fuge nugantia verba, & sanam mentem indue, amplectere deinde,

Justitiam, & per te nulli unquam injuria fiat,
Sed verbis, aliisq; modis fuge lædere quemquam,
Quodq; tibi nolis aliis fecisse caveto.
Quodq; tibi velles, aliis præstare studeto.
Alterius famam, vel honorem, tangere vel rem,
Invidiâ, aut irâ, aut suadente cupidine noli.

Uti De Scoto fortè Clitellario.

IN Excellentissimum Dominum Davissonum tibi soli incognitum jam rudis absq; respectu; illumq; Clitellarium ecce suspicaris, sed reflecte quæso in Vopiscum Fortunatum tuum Plempium, quem tu crebris, & futilibus tuis importunitatibus in sanitate tua conservanda Clitellarium tuum feceras; nam locò honorarii quo debebas ejus industriam augere, Clitellarium fecisti, cum nuperis tuis prolixis colloquiis lassando petulantes & onerando virum munere publico adstrictum; sunt qui multi & à Davissoni modestia valde

alenu

alieni quisi à Skuminovio læse fuissent tam atrociter atq; ille in isto nupero consilio interfuissent, dixissent pro Domino Plempio contrà te Instigatorem suum.

Huic asino auriculas iratus Phœbe dedisti

Quia remoram sæpiùs faciebas Domino Plempio, nè cathedram suam ascenderet vociferantibus auditoribus:

— — — Cui fibula, cultellusq; supellex

Quod autem ad suam, gentisq; suæ suppellectilem attinet, dicis esse fibulas & cultellos. Fibulas vendunt Scoti, ut te puerum juvenili toga fibulent, & ad scholas denuò demittant, sed cultellos datâ operâ pro Excellentissimo Domino Davissono conservant, nempè plicomasticem, ut pro te homine membris & dotibus conformato securatum opusculum apparent, ut Clitellis tuis venale exponeres, cujus beneficio in ditissimum bibliopolam tandem exurgeres ut omnibus plicâ tuâ laborantibus mederi possis.

— — Et si quando ferox fortuna maligna
Pauperiem intulerit rebus violenter ademptis
Nè mendicus eas patiens frigusq; famêmq;
Nec mala pauperies alias te volvere curas
Cogat, & impediant ingrata negotia mentem.

Sua autem supellex in acie remediorum consistit, non in auro, nec argento, sed propitio affectu, & sociali benevolentia venalium, quâ conatur infirmitatibus humanis Christiano more, & non per mercaturam, ut illum injustè calumniaris, sese opponere. Et forsan tàm benè curaret hypocondria eam tuam passionem, quà te certo laborare novit æquè benè, atq; Dominus tuus Plempius, sed quod ad gentem suam attinet, amicè consulit, nè obviam ipsis te exponas, sed maneas in Climate tuo, ubi tàm ratione gentis, quàm ratione characteris securus debes esse; sed si divagaveris de novo in Flandriam, multi sunt ibi tales clitellarii, qui solebant antè aliquot annos legionibus multis Illustrissimi Principis Auranciaci præesse, qui clitellas terribiles scapulis illorum, qui aliquid contrà ipsos mussitare voluerint applicabunt.

Patriota suus Ovenus.

Quo jure aut quâ cohærentiâ transit Reverendus Episcopus ad supellectilem suam aut ad Ovenum ignoro; sed hoc scio supellectilem suam in istis clitellis esse malè sarcinatam. Non desinam tamen sensum suum sequi dicendo

cendo, Ovenum Excellent[illegible]minum Davissonum Patriotam suum Prophetico Spiritu Reverentiam suam scripturam contrà ipsum præscivisse, quùm in isto loco de Medico & mendico scripserat:

Qui modo venisti nostram Mendicus in urbem
Paulùm mutato, nomine sis medicus.

At simili ratione sibi Ovenus, ut tibi responderet distichon de Homero prædestinaverat.

Mentiri cœcum nemo miretur Homerum
Auritus testis, non oculatus erat.

Diceret aliquis Homerum cæcum fuisse à ventre Matris cæcitate oculorum, sed aliquis Excellent. Davissono petulantior Te cæcum esse cæcitate mentis affirmaret ut vix possis nisi mendacia proferre.

Popularibus autem illis, etiam perfidia in Principem lucrum quærere funestus Regis optimi exitus non ità pridem comprobavit. *Perfidia illa aliquot confœderationem, & malè feriatorum militum nullam habet cum plica relationem, nec cum Domino Davissono, qui integram Ser. Sac. Reg. Mtis. hodiernæ restitutionem toti mundo patefecerat; imò tunc quando res ejus in profundo Pandoræ pixidis prostratæ jacebant, si tu prodromum ejus, ubi quædam quasi parergos de plica dixerat, benè legisses, quantum ille nefandum scelus detestatus fuerat, facilè intellexisses, neq; totam gentem sinecthdochicè pro perfidis aliquot nebulonibus (à quorum similibus nulla gens est immunis) calumniis denigrâsses; Imò notum est, istam perfidiam non solùm suprà Sac. Reg. Mtem. locum habuisse, sed super omnium Nobilium capita excussam fuisse, qui à Regiis partibus stare censebantur. Sed si perfidia illa erat magna à paucis sceleratis perpetrata, non minor erat vindicta ab ipsis illorum popularibus exacta. Proinde desine omnem gentem pro peculiari sceleratorum hominum culpa dilacerare. Apparet scotum aliquem te forsan propter linguæ tuæ procacitatem asperiùs tractâsse, & tu vis in totam gentem sævire. Tu tamen qui nec Scotiam, nec per historias peregrinas didicisti, nec te unquam extrà fimentum tuum progredientem vidit aliquis, nisi forsan Flandriam invisurum ut horam aliquam diei addisceres, tàm petulanter de antiquissima, & nobilissima gente audes loqui, quæ proluviem potiùs, quàm sapientis Episcopi dictamen sapere videntur. Disce igitur à me qualis sit Scotia, & quales sint Scoti, quos tu tàm injustè dilaceras.*

Pro Scotia respondebit h[illegible]itas:
Si series generis, longus propaginis ordo
Quæritur, hæc una centum de stirpe Nepotes
Sceptriferos numerare potest, hæc regio sola est
Quæ bisdena suis includat sæcula fastis,
Unica vicinis tot'es pulsata procellis
Externi immunis Domini, quodcunq; vetustum
Gentibus in reliquis, vel narrat fama, vel audet
Fabula, longævis vel credunt sæcula fastis
Huc compone, novum est.

Quod autem ad mores Nobilium attinet antiqua hæc poemata fidem facient.

Illa pharetratis est propria gloria Scotis
Cingere venatu saltus, superare natando
Flumina, ferre Famem, contemnere frigora & æstus,
Nec fossâ, & muris patriam, sed Marte tueri,
Et spretâ incolumem vitâ defendere famam,
Polliciti servare fidem, sanctumq; vereri
Numen amicitiæ, mores, non munus amare.

Quod autem ad artium liberalium cultum attinet addisce puriori ore loqui.

Neve putes duri studiis assueta gradivi
Pectora mansvetas non emollescere ad artes.
Hæc quoq; cùm Latium quateret mars barbarus orbem
Sola propè expulsis fuit hospita terra camænis
Hinc Sophiæ, Grajæ, Sophiæ decreta Latinæ,
Doctoresq; rudis, Formatoresq; juventæ,
Carolus ad celtas traduxit, Carolus idem,
Qui Francis Latios fasces, trabeamq; Quirini
Ferre dedit, Francis conjunxit fœdere scotos,
Fœdere quodq;, neq; Mars ferro, nec turbida possit
Solvere seditio, aut dominandi insana cupido.

Quod ad mercaturam attinet quam sors tertia Scotorum exercet, non est peculiaris scotis; Galli, Germani, Itali, omnes Nationes orbis terrarum

rum, eamq́ absq́ labe exercent. Nec clitellas gerentem aliquem unquam vidi; & quid inde, si ita facerent? nullos unquam de fuco accusatos audivi, vendunt mercimonia bona honesto pretio; imò video illos in quocunq́ loco, ubi exercent mercaturam, habere bonam famam, & in civitatibus habere primum locum, & esse ornamento multis civitatibus. Civitas Gedanensis, Elbingensis, Turonensis, Warsaviensis, Cracoviensis, Leopoliensis, Regiomontana, Vilnensis, multos tales habent primarios civitatis viros Sed quid hoc ad Gentem? Tu tuo pede omnium calceamenta hominum metiris, & insulsè credis nullos esse Scotos, nisi quos apud te videras. Excurre in Scotiam, & videbis, si tales sint quales tu dicis esse rudes, & quibus pectines non esse semper ad manus prædicas, neq́ capitis cultum semper adesse dicis. Vade & calefacias te apud focos istorum, quos tu rudes & incultos prædicas, vade in aulam Anglicam, vade in Galliam, vade in Belgium, & de tua simplicitate curaberis: quia tu forsan incultum habes caput, vis de aliis ità judicare, tace igitur, & noli illi imperitiam, temeritatem, malignitatem, & satyricium caput, nec tortuosum, aut plicosum ingenium objicere & benè facies.

Annales nostri, & qui plicæ circumstantias penitiùs introspiciunt. *Excellentissimum Medicinæ Doctorem Dominum* Joachimum *Pastorium amicum ejus, & collegam colendissimum, & qui nunquam approbabit sententiam tuam, citas in Floro suo Polonico de plicæ circumstantiis, cujus & ego in hoc casu non recusabo censuram. Neq́ enim ille confirmat plicam esse morbum, nec destruit, sed historicè refert, quæ juxtà vulgi famam promulgari sciverat. Spondanum etiam, Bzovium, Cromerum citas sed quid illis fidei attribuendum erit de veritatibus physicis. Nec novum est aquas putealis infici posse ab inimicis, & tale exemplum protulit Dominus Davissonus in prodromo suo de plica, & de officiariis quibusdam Scotis triginta, aut triginta quinq́, qui in civitate præcipua, & parlamentaria Lotharingica Simeia dicta infecti, aut potiùs venenati fuerant ab usu aquarum mixtione sublimati corrosivi per milites Lotharingicos infectarum, nam post obsidionem, & traditionem civitatis in Seren. Regis Galliæ exercitus obedientiam, præsidiarii ibi milites qui post obsidionem fuerant aliquot Scotorum regimina, ibi à Gallorum exercitu relicta omnes propemodum ab usu ejus aquæ putealis fuerant infecti, & torminibus cholicæ*

F *biliosæ*

biliosæ crudeliter cruciati. Imò & eadem symptomata, atq; plicosi in Polonia patiebantur, & maxima pars, qui ibi hæserunt, aut moriebantur, aut in paralysin, aut in universalem contractionem post diuturnos, & longos dolores volutando se in lecto inciderunt, imò & complicata illis fuissent capillitia, nisi rasissent. Qui verò Parisios sese pro cura contulerunt, curati fuerunt omnes cura cholicis biliosis adhiberi solita; quæ quidem, ut verè dicam, non domabatur dosibus ordinariis purgationum nostrarum, imò & scammoniata non agebant, nisi in duplici aut triplici dosi imò cogebamur post venæ sectionem reiteratam, ad usum antimonialium, nempe pulveris hemetici sæpius recurrere, & interpolatis vicibus, ad opiata confugere. Unde accidit, quod in Polonia vix curatur hic affectus, quia à levibus, aut ordinariis remediis irritatur: Et hinc ægri tædio affecti, relinquunt Medicos, & ad vetulas garrulas confugiunt, quæ spem curationis in confricatione capillitiorum ponunt, & ità cum Spiritu cerevisiæ, quem crematum vocant, & decocto branchæ ursinæ capillitia confricant, quousq; vel veterascente morbo superetur affectus à natura, vel assiduitate confricationis incipiant colligari, aut fullari crines in plicam, & tunc credunt complicationem illam è corpore in caput prodiisse. Et quia Medici non admittuntur, sed vetulæ fatum regunt, ille morbum à natura victum plicæ exeunti attribuunt; Sed non secùs potest aliquis ratiocinari, qui videt hominem à febri continua pallentem, ac dicere hic pallet, ergò certè pallor causabat febrim, unde sequi debet, quod si primò compalluisset, non laborâsset. sed quàm sint ista absurda quis ignorare potest.

Ut igitur ad istam longam & intricatam historiam de aquis infectis à cordibus hominum accedam: dicam ridiculum esse, primo credere Tartaros scivisse, aut potuisse ità inficere aquas immensorum lacuum veneno aliquo, quo potuerat antè centum annos, cùm primò inceperat hæc complicatio apparere; & in hanc ætatem perseverâsse. Nam nec sufficeret sublimatus totius Europæ tales lacus inficere, tàm sunt ampli; deinde, dato sed non concesso, quod poterant isti lacus sensibiliter infici; venenum illud omnes pisces istorum lacuum destruxissent; sed nulla est mentio apud Historicos de piscium destructione, ergò & annales quos tui penitiùs in plicæ indolem, ut tu ais, introspexerunt errârunt, ut tu illis cum simplicitate tua vis Excellentum Davissonum obcæcare. Deinde venenum illud non esset tàm durabile, quin aqua pluvialis, tùm terra ipsa absorpsisset totam venenatam quantitatem, quæ

facile

facile sese insinuat terris [illegible], & spiritibus metallicis terrarum vicinarum sese immiscuisset, deindè, si hoc verum esset, illi vicini istis lacubus, & non alii valde remoti hoc affectu torquerentur, sed undiq; tàm in Gallia, quàm Hispania torquentur homines cholicis istis doloribus, & diu voluuntur in lecto, præsertim in cholica biliosa spuria, imò & ipsis complicantur cum tempore capillitia, tamen explicare aut scindere non desinunt, nec ab ista scissione magis læduntur, imò sublevantur, sicut etiam hîc in Polonia. Curent igitur cholicam biliosam, quæ valdè Polonis est familiaris, aut alios similes affectus, ut sunt, lues Venerea, arthricici dolores, imò qualescunq; sint affectus, aliis nationibus communes, hos omnes curent, & pectinent aut extricent capillitia; Et ego pro plica respondebo se nunquam debere terreri. Nec enim inficior Polonos plùs obnoxios esse cholicæ biliosæ, quàm sunt multæ aliæ nationes, quia sunt temperamento biliosissimo, imò, & aquæ pluviales, quæ irrigant valles & flumina, & nives hybernæ quæ ex montibus altissimis, & metallicis decurrunt, & imbuunt loca vicina multonitroso sale & vitriolo (ex quibus sublimatus conficitur) tùm etiam bilis ex quarum aquarum usu colici bilosi generantur, imò idem fieri solet in Provincia Pictaniensi in Gallia, quia vina alba acida bibunt. Non est igitur opus adire historicos, ut sciamus naturam aquarum mineralium; Peritus medicus bilem in nostro corpore, quando excedit modum, fieri venenum in nostris corporibus non ignorat. Ità qui bibunt ignem, sicut faciunt Poloni ex vino fortissimo hungarico in excessu, qui comedunt ignem per piperatos cibos, quos per excessum deglutiunt, qui à fornacibus calidissimis inspirio ignem hauriunt, igneos & biliosos tales esse quis dubitat. Non igitur cholicarum biliosarum causam, & per consequens plicarum causam Tartarorum venenationibus, neq; vetularum incantamentis tribuant, sed causis naturalibus. Interea ut verè dicam mirabilis est iste Episcopus in concione sua longa, fabularum Rusiacarum somnium hominibus benè sensatis inducente, proinde breviter reliqua per transennam componam.

Cæterum inquit nè Rusſi quidem.

AFfirmat historicos multos asserere à venenatis aquis in Russia fuisse multos extinctos, sed historicos nullam plicarum mentionem fecisse. Sed quod sit Russorum concors traditio, plicam istam causari ab aquarum metallicarum usu; Sed ego affirmo non causari aliter, quàm causatur pallor faciei post decessum

cessum febris continuæ. Et ubi dicit hoc m[...]sse hæreditarium, & ego jungo, quòd sit similiter contagiosum, sed à mentis & loquendi usu tum sentiendi contagio ortum.

Sic aquarum qualitas styriaca.

NOn negatur qualitatem aquarum styriacarum, tùm & montium Pyrineorum generare strumas, sicut non negamus aquas Polonicas generare colicam biliosam. Sed styriaci nec Pyrineici non habent introductam superstitionem fovendi plicam, ut liberentur à strumis, nec gutturales Sabaudi, ut liberentur à Bronchocele, & si haberent, infelicitatem infelicitati adderent.

Sic de venenatis hominibus.

NEscio quid possint venenati homines? Sed scio quid possit stultitia ignavorum, & facile credentium procurare, Nervus sapientiæ est nihil temerè credere, multa falsissima, & quæ sapientiæ lydio confirmari nequeunt, de venenis dicuntur. Sicut de carnibus bufonum, eorum enim carnes comeduntur absq; ulla veneni suspicione, sed illorum bilis & urina est præsentissimum venenum. Vidi multos comedentes carnes bufonum, sicut ranarum. Similiter & araneas, quas simiæ etiam in delitiis habent, carnes viperinæ, angvium comeduntur, solus usus inter homines non receptus prohibet illorum esum: tantùm potest inter homines non recepta opinio. Sicut quæ dicuntur de Macrocepbalis, ad quam Hippocrates de universo terrarum orbe disputans, præcipuè in quarta parte quæ est de regionibus in lib. de aëre, locis & aquis, ubi dicit diversas regiones non solùm naturâ differre, sed etiam legibus & consuetudinibus discrepare, itaq; naturam leges & consvetudinem sibi invicem opponit Φύσι, *nempè &* νόμον, *quas interpretatur Galenus ad part. 8. comm. 5. in lib. de* Nat. *hum.*

asserit nihil aliud esse quàm secundùm ipsam rei essentiam atq; veritatem indicare

autem secundùm hominum communem opinionem consentire. Idem Gal. in lib. quodam: mores sequuntur temperiem corporis νόμον *vocat esse viam traducendæ vitæ in aliqua regione quam educatio, institutio, usus receptus, & mos majorum svadet. Idem Gal. cap. 2. lib. 1. de elem.* νόμον *interpretatur,*

id

id est ex opinione, usu, [illegible]udine juxtà nos res judicare, ità plica ante centum annos non fuit visa in Polonia, sed usu aliquot superstitiosorum hominum, primò inter rusticos, deinde inter Magnates introducta deficientibus Medicis, qui tales nugas inter plebeios conceptas dissipare potuerunt, aut forsan contagio mentis in consensum tracti eundem

& hæc ratio loquendi à Democrito in sua Physiologia usurpatur, nam entium divisionem faciens, dicit eorum quæ sunt quædam esse re ipsa ut atomos & Irane; Quædam sunt νόμω id est hominum opinione, quæ pertinacia sua omnes alias distinctiones superat, & talem differentiam & consvetudinem adfert Hip. 4ta parte, de aëre, locis, & aquis, incipitq; à macrocephalis populis, cujus textus talis est:

Ac primum omnium de Macrocephalis, quùm nulla omninò alia gens, si quæ similia capita habeat. A principio quidem consvetudo in causa fuit, ut tam longis capitibus essent. Nunc autem natura ipsa cum consuetudine conspiravit. Siquidem generosissimum apud eos putatur caput habere quàm maximè longum: consvetudinis autem hoc initium fuit: Quùm recens infans natus est, & apud ejus adhuc tenerum ac molle existens, quàm celerrimè constringunt manibus, coaptantesq; cogunt in longitudinem augeri, quin & vinculis connectunt, ac aptis instrumentis colligant; quo rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur. Ea consvetudo tantùm effecit, ut ejusmodi natura capitum existeret. Temporis verò progressu, natura quoq; tales produxit, ut non esset necesse consvetudine priore cogere. Quùm enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, fiatq; ut ex caluis calvi gignantur, ex cæsiis cæsii, & ut plurimum distortus distortum generet, eademq; ratio sit circa reliquas formas. Quid prohiberet ut non ex Macrocephalis Macrocephali gignerentur? Nunc autem non nascuntur ità magnis capitibus, quemadmodum prius, quùm consvetudo non amplius duret, per incuriam hominum intercepta inter homines opinio. *Simplices homines omnia tenent, & quæ audiunt garriunt, & alios in credulitatem inducunt. Undè patet non esse novum scire, quid consvetudo valeat, cùm amentibus & delirio infectis corpus, & res corporea*

corporeæ etiam inficiantur, qui audirent n[...] Episcopum de rebus Physicis blaterantem, crederent eum esse alterum Podalyrium.

Sic plicâ laboranti in Polonia lethale.

Dicit plicam amputare in Polonia, non autem in Tartaria esse lethale. Revera tædio afficior à nugivendulo isto discursu; Tartari insignum servitutis capillitia captivorum radunt, & proinde immunes à plica sunt, rasis enim nunquam apparuit plica. Et si ita rasa foverent capita, aut pectine divaricarent Poloni, nulla esset in Polonia plica. Et in hoc errare fecit Episcopus Doctorem suum, quia præsupponit omnes Polonos *esse glabros, calvos, vel rasos. Et hoc confirmat plicam non è corpore ad caput propelli, ut exeat; nam si capillitia exirent plicosa, certum esset plicam è corpore fuisse expulsam: sed plica nunquam apparet, nisi suprà extremitatem crinium distantium ad duos vel tres digitos à pelle, aut pericranio.* Præterea *nihil falsius est, quàm dicere scindere plicam esse lethale.* Puderet *semi docto tales nugas contrà quotidianam experientiam proferre, quot lineæ, tot errores. A semidoctis istis nos conservet DEUS, quia forsan contrà parietes scholæ Lovaniensis urinam dimiserint, credunt se Æsculapio doctiores esse.*

Alia mascula, alia Fæmina.

Ex musca elephantem facis, video nunc me in eadem esse sorte, quà quando puer fueram ludens par impar, & equitans in arundine longa. A forma externa vocantur plicæ masculeæ, quia omnes crines in uno cumulo contrahuntur, & circa verticem capitis fullantur, & acquirunt istam formam; quia pilei aut arcta ista velamina, (quibus noctu & diu caput mulierum stringitur) acquirit istam formam, & dicitur mascula, & ità magis in mulierum, quàm hominum capitibus reperitur; in aliquorum quidem hominum capitibus reperitur, præsertim in illis, qui diu in lecto decubuerunt cum pileo stringente verticem. Illi verò qui absque pileo aut forti strictura jacent circa aures non in cumulo, sed lororum, aut funium formâ dependent, imò & tales fæminæ dicuntur. Superstitiosi volunt ignorare essentiam rei, nec volunt rationis trutinam admittere, sed accipere omnia, quæ audiunt, pro veritatibus, & vultu, & digitis non rationibus confirmare illorum superstitiones, exclamando, caputque nutando certè plica res mirabilis est.

Neq;

Neq; hoc perpetuu[illegible] vermes supra nominati semper plicæ adhæreant. *Nunquam apparent vermes; & vermes à litu mercurii occidi non est novum, nam milites illinendo bracalia unguento, & mercurio à pediculis sese liberant, imò & plicosi lavando caput, ut illi solent spiritu cerevisiæ, quem Poloni crematum vocant, etiam à pediculis liberantur; imò crematum hoc, & spiritus cerevisiæ particeps est naturæ mercurialis, & propterea dolores nocturni, qui affligunt lue venerea affectos sedantur in bibonibus per usum cremati in excessum hausti hora somni; & tales per continuationem istorum excessuum producunt miseram vitam, & sub umbra plicæ nocturnos dolores mitigant. Sicut cantus nutricum infantes sopire solent. Et quod attinet ad istum Petrum Michaëlem Niezmierski, & plicam suam mirabilem, dicit enim, quod quùm nunquam habuerit vermes, dubius erat, an hoc fuerat, quòd humor, qui causaverat plicam, haberet naturam argenti vivi; an potius, quòd antè aliquot annos tingendò capillitia aquis, quæ ut plurimum fiunt ex argento vivo dissoluto in aquis fortibus post multos annos virtutem suam tacitè in capillitiis reliquerat. Quæ omnia, quùm sint puerilia, relinquo intelligentibus, ut judicent, quàm sint ista omnia longè petita, & quod est ridiculum, magis citat Galenum, ut ab ignaris pro perito Galenico habeatur.*

Quod igitur dixi de Veneficiis Tartarorum.

Hic affirmat plicam fieri à veneficiis, de quibus, quùm nihil, præterquam ignorantiam puram profiteatur Excellentissimus Dominus Davissonus, tibi in istis Rusticis tricis sagaciori opinionem istam grato animo relinquet.

Hoc modo torqueri sæpè evenit.

Hoc in loco symptomata cholicæ biliosæ applicat plicæ, & semper redit, aut à veneficiis fieri, aut causam esse ignotam: tunc transit ad brancham ursinam, hoc est herbam, quæ juxtà ipsos complicandi facultatem capillitia habet: pulverem enim illius herbæ in aqua, cocta cum fermento panis coquunt, & cum quo capillitia longa pertrectatione fullant; imò si idem cum manipulo stràminis, & aqua tepida facerent, idem accideret & quàm primum capillitia incipiunt fullari, tunc ægros liberatos iri à morbo credunt, sic lappa major intricando caudas, & jubas asinorum & equorum plicam inducit, imò pollines

lines qualescunq; idem faciunt, tàm benè quàm spondilium, quam illi branchani ursinam ineptè vocant.

En habes fidem plicæ, quâ mercatur Scotus Ille, involuti ex longo decubitu, vel pectendi negligentia, crines causant, ne, &c. *Ille non supinam negligentiam pectendi accusat, sed negligentiam præ occupatam, quæ est vera mater & nutrix plicæ polonicæ, & esse plicam, quia ità vult consuetudo, & sic traditio asserit; ille sæpius dixit: & ego adhuc assero; illum nunquam mercatum fuisse plicam imò nec medicinam, nec mercaturam ullam; neq; aliquid unquam sua professione nec generosa nativitate indignum exercuisse. Tu verò falcem in alienam segetem immittis & aliquando videris nobis aliquid dare, aliquando nihil, prærterquàm inanes labores, jam vero post objectam per convitia mercaturam, medendæ plicæ leges trans grederis, deinde ad superbas, & vaniloquentiæ plenas interrogationes descendis* involuti ex longo decubitu vel pectendi negligentiâ crines, causantne aliquem internum viscerum dolorem? contorquentne hominem?

Adimunt ne aliis sua munia membris?

IMpedita pectinatio capillitiorum retrorsum, impedit transpirationem, impedita transpiratio obstruit meatus cerebri, meatus obstructi inducunt apoplexiam, epilepsiam, & paralysin, quæ auferunt sua munia membris; imò & crines complicati causant viscerum dolorem consensu membranosarum partium, quæ obstruuntur; imò ego assero dolorem viscerum causare etiam plicam, qui ægrum reddit sui negligentem intermittendo complicationem. & istos dolores provenire potiùs à cholica biliosa, & istos dolores aliquando per metastasyn, aut pravam epigenesin, in paralysin transplantari cernimus, & ad istam transplantationem à membranosis partibus ad nervosas non parùm conferunt crines plicati, quia capillitia complicata obstruunt suturas, ne fuliginosos vapores à cerebro expellant, & inde adimunt membris sua munera, ubi sunt iam superbæ tuæ interrogationes?

Adimuntne aliis sua munia membris?

QUâ tricantur facilitate capillitia eadem extricantur. *Si ità sit non debent Rusi prohibere plicarum scissionem, sed prohibent, & multis periculo-*

periculorum minis prohib... Sed quid ungujum excretioni cum plica? ungues suas habent morbos, quibus Medicus peritus obviare possit, nec alios habent in Polonia, quàm in aliis regionibus. Tu vis ut excrescant ungues sicut & capillitia, & non vis ut homines inde maximos dolores sentiant. Vellicantúrne radices ungujum, quando extremitas altera in singulis vestigiis duritie, & spissitudine sua nimia excedens promineat musculo carnoso pollicum pedis quæ terram ferit? & quæ summos dolores inferre solet, quis pro hoc præsentaneo dolore non eliget exscindere super eminentem ungulam, quàm fovere & in lecto hærere metu dolorificæ deambulationis: & nè scissio ista humorem istum ascendere ad caput faceret, & plicam generaret? In hoc nónne me accusabis, quod Polonis socordem negligentiam objiciam: quùm tu fovendo superstitiosa consuetudine, non vis ut abscindantur ungues, nè plica petat caput, non vis ut abscindatur plica, nè descendat ad pedes, egregius es Philosophus, & tua cathedra dignus, multùm eget equo aliquis, quando quatuor insident dorsi asini.

Attamen bonus ille Doctor.

Bonus ille Episcopus fallitur, quando dicit, quòd à pectinandi negligentia causam plicæ attribuat: Sed ego semel pro semper respondebo distinguendo inter negligentiam pravæ consuetudinis, aut socordiæ, & metum futuri mali; metus futuri mali suadet hominibus mitibus facilibus, & bonæ compositionis, ut sunt Poloni, ut credant facilè, quæ ab amicis familiaribus, Parentibus, & à tota gente ista facilitate credendi præditis dicuntur. Sicut si accideret amico meo debenti mihi mille taleros, super quo debito schedulam suam tradere velit, ego quidem indubitanter, si fidem ejus in aliis majoris momenti rebus suspectam non haberem, de amico non suspicarer, sed reponerem in pera, & crederem absq; inspectione omnia in tuto esse; sed si istam inspicienti mihi schedulam, non nisi pro mille denariis inscriptam fuisse invenirem, tunc amici mei deceptorium animum, tùm meam ipsius simplicitatem accusarem, & me deinceps decipi non paterer, & à damno meo sublevarer. Ità Poloni aliqui credunt paræmiis præsertim ab illorum Parentibus, Avis, Attavis, Tritavis confirmatis, nec volunt dubium inducere, & proinde authoritate Parentum & pertinaci consuetudine fisi, veniente quacunq; importuna dispositione pectinem admovere nolunt, sed nutrire capillitia ad fullatio-

nem;

nem; credendo omnem infelicitatem ipsis [illegible] *uram, si secùs fecerint. Imò in Anglia sunt plicosi, sed illi plicam nutriunt, quia felicitatem à conservatione, & nutritione illius plicæ subventuram meditantur. Plica verò socordis negligentiæ est gannionibus familiaris, ex quibus nulla natio est, quæ similibus caret: Imò & ex talibus pauci plicâ corripiuntur; crines enim similium semper pinguedine scatent, qua crines complicari prohibent. Quod autem majus periculum imminere dicis Scotis ex longo decubitu, vel à pectinandi negligentia; Respondeo nullam nationem carere negligentibus hominibus, gannionibus, mendicis, rudioribus equisonibus, seu hippocomis, qui pectinem semper ad manus non habere solent, nec volunt, neq; accuratum capitis cultum habere volunt. Itaq; hoc opprobrium Scotis infimæ sortis hominibus non denegatur: hinc apparet te nunquam cum Scotis majoris sortis conuixisse, & forsan injurias à Satyraceis istis capitibus tui similes accepisse contigit, quia satyraceum tuum caput, ut tu caput Excellentis Davisoni non minus ad tales inferendas injurias provocavit. Poteris tu esse progenie Nobilis, sed moribus agrestis es, & satyricius, proindè credo te à Nutrice è cunabulis mutatum fuisse, à tredecim annis, quo jam in Polonia vivit tu primus es, qui illum ad scurriles tuas nugas provocâsti, neq; unquam à Polono læsus fuerat, imò omni civilitate honoratus, proindè dico te mutatum fuisse à Nutrice, itaq; cogor cum Marone dicere:*

> Nec te Diva Parens generis, nec Dardanus Author
> Perdite: sed duris genuit te cautibus horrens
> Caucasus.

Et si quam ante à taciturnitas illi comparaverat Authoritatem. *Nullam ille authoritatem à taciturnitate sua comparatam attribuit; nec taciturnitas ita potuit præstare, cùm passim in bibliothecis doctissimorum Virorum undiq; reperiantur opera sua grata & utilia omnibus. Imò tu primus es qui in renauci illi fructus satyracei capitis sui objicis. In publicum dedit ante triginta annos tractatum, cujus titulus erat:* Elementa Philosophiæ Pyrotechnicæ, fundamenta Physicæ Chimicæ continens, ex quo omnes rationes reddi possunt de Phænominibus quæ in resolutione vegetabilium animalium, tùm mineralium accidere possunt. *Successit huic, tractatus de salis natura & viribus cujus titulus erat:* Oblatio salis, seu Gallia lege salis condita, per quam deduxit veram origi-

qua potentissima & civilissima Gallia,
originem legis salica[illegible]
non agnoscit fœmineam [illegible]obolem legitimam coronæ Gallicæ hæ-
redem, eamq; legem in Davidis regno Israëlitico à DEO sta-
bilitam fuisse demonstravit: *quia cum sale dedit DEus Davidi, & ejus*
Soboli masculæ regnum Israëliticum fœdere, ut legitur cap. 13. Paralipome
non. Similiter reliquias sacrificiorum fœdere salis stabilivit, in Levitarum
masculos non solùm, sed & fœminas. Tertium tractatum edidit sermone
Gallico, cujus titulus erat: la philosophiè de lart dufeu, *qui Theoriæ*
& praxi Chimicæ per utilem præbet notitiam. Ultimò Prodromum
& commentaria in Petri Severini Dani Idæam Medicinæ Philoso-
phicæ, Hippocraticæ, Galenicæ. *Igitur non debes authoritatem sibi præ*
taciturnitate nimia attribuere; nec ille authoritatem sibi, aut vanitatem,
in taciturnitate, nec in loquacitate unquam posuit, humiliter se semper omni-
um censuræ exposuit, nec ulli in operibus suis injuriosum, aut imprudentem,
aut pertorto ingenio præditum, & stultis compositum mendaciis, ut tu calum-
niaris sese exposuit, nec gentem ullam læsit; Neq; veritas sua deplica ulli de-
bet esse offensæ, quùm gratificando non offendendo, omnibus esse emolumento
studeat: Et nec tu nec tuus Professor unquam falsa & commentitia de illo
orbi ostendere poterit; imò & nisi tu illum provocâsses, & turpia de Natione
sua protulisses, ego nunquam de te in ejus, & nationis meæ factam injuriam
durius aliquid cogitâssem, nec fuissem in causa ut Aliqui dicerent, qui hæc for-
tè legent, satyricium tuum caput non esse adhuc ad Episcopi nobilissimum mu-
nus satis maturũ, videbuntq; docti & indocti ex scriptis, & conversatione sua
qualis sit, nec pro barbaro, imperito, temero, maligno unquam convincent.
Hæc igitur pro injuria in Excellentissimum Dominum Davissonum per tuas
epistolas præliminares facta sufficient, tùm pro vindicanda veritate eliminatio-
nis plicæ è numero morborum, quæ peregrinarum nationum ingenia usq; ad at-
tonitum jam dudum exercuit. Reliquum erit ut ex ipso fortalitio, quod Cap. 7.
construxit, authorem evertam, & omnes plicosos milites ad fugam & interi-
tum propellam. Quæ lectionem non merentur, omittam; præcipua verò,
quæ sua sunt, confirmabo, & falsas hypotheses, super quas fabulosa
plica stabilitur radicitus, evellam, ut toti mundo appareat me non
ad alium, quàm veritatis Scopum tendere, eumq; in propatulo
semper colere. Fatigor interea in recitandis tot ineptiis, quæ subli-
mis

mis hic Cathedrarius ex inepta instigatoris sui [illegible]ione quasi pica, aut psittacus aliquis imitando humanas voces, multa [illegible]iloquia effutire solet. Sed si periti alicujus Doctoris ope usus fuisset, tunc excusassem, & mihi jucundum esset, & lectoribus utile aliquid Reipublicæ literariæ dignum exponere. Docet hic homo in isto septimo Cap. quid sit plica ab homine Polono ipso ignaviori instigatus, qui in Flandriam datâ operâ discessit, ut nævos nationi suæ falso impositos dispargeret. Quærat Dominus Doctor à Fullonibus, qui lanam textam in pannum reducunt, & veriorem habebit resolutionem, quàm ex instigatoris sui relatione. Cogitavi prima fronte præcipuos hujus capitis errores monstrare amisso integro textu, sed nè videar à nimis iniquis judicibus datâ operâ prætermisisse aliquid è textu, quod adversarii sententiam corroborando veritatem destructionis plicæ palliare possit totum hoc integrum caput Doctoris Plempii Lectori exponam, ut videat totus mundus, quàm sincerè de veritate indaganda agatur, & quantùm contraria juxta se opposita unicuiq; veri dilucidationem adferri possit; Igitur post contenta totius capitis pergam ad ampliorem discussionem singularum partium septimi Capitis ad singulos articulos responsurus.

TEX-

T[illegible]XTUS VOPISCI FORTUNATI PLEMPII IN

CAPUT VII.

Tractatûs sui De morbis capillorum& ungium De tricis seu trichomate quam plicam vocant.

Contenta Capitis.

PLica quid sit, quibus regionibus sit familiaris, est duplex: Mascula & Fœmina, quæ sit causa plicæ. Historicorum de ea sententiæ, signa, symptomata plicæ: aliquando caret pediculis, vocatur Polonicè Gozdziec, quam plicam fabulosam, imaginariam & superstitiosam esse, audet scribere Davissonus, natione Scotus, ejus argumenta examinantur, & refelluntur, plicæ curatio.

SECTIO I.

PLica est pilorum sibi invicem junctorum, adeò arcta intricatio, atq; implicatio, ut nullo pacto ampliùs discerni, aut extricari possint à certa causa interna, & præter naturam proveniens. Familiaris est hic affectns, & quasi Endemius Polonis, præcipuè Russis, quorum infantes sæpe cum eo nascuntur, vidi tamen etiam, Patavii in Fæmina Germana, in cujus ædibus habitabam.

SECTIO II.

POloni duplicem statuunt plicam; alteram masculam, alteram Fæmi-

Fæminam. Hæc totum horribili ſ[illegible]lo involvit caput, ità non capilli, quàm aliquis pileus co[illegible]itus homini videatur. Maſcula eſt quæ propendentes aliquot ad inſtar funiculorum ſpiras habet.

SECTIO III.

Hujus mali causæ ſunt vitioſi & maligni humores ob peculiarem loci præcipuè Ruſſiæ, aeris & aquarum genium ad caput ferri, & in pilos commutari apti quem admodum in alpibus Rheticis, Styria & Corinthia aquarum vitio bronchocelæ & ſtrumæ incolis adna cuntur materia vitioſa in glandulas colli, & non in alium locum detruſa,

SECTIO IV.

JOachimi Paſtorii Florus Polonicus lib. 2. Cap. 14. narrat tempore Leſci Nigri Poloniarum Principis in Ruſſia (rubra) à tranſeuntibus Tartaris immiſſis humanis cordibus, quæ veneno imbuerant infectas aquas nova morborum genera peperiſſe quorum ut cauſa diu fefellit Medicos ità ſoboles hodie quoq; inexplicabili tricarum contage, quam plicam vocant, creditur vulgò ſupereſſe. Spondanus etiam Anno 1287. num. 10. ità ſcribit: Cæterùm ne Ruſſi quidem quanquam Socii prorſus expertus malorum à Tartaris fuêre, nam exceſſuri illi è Ruſſia, ut eſt malitioſum hominum genus, atq; incantationnm, veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt ex ſectis captivorum cæſorum cordibus, & præſentisſimo veneno imbutis, ac verubus ſubter aquas defixis. Unde plurimi mortales, cùm ſæpiùs mali cauſa animadverſa eſſet, miſerabiliter, extincti ſunt. Idem ajunt Bzovius, Cromerus, Dlugoſius, aliiq; Hiſtorici Poloni, & concors in Ruſſia traditio eſt, plicam ab illis aquis infectis eſſe derivatam, cui favere poteſt regionis ipſius temperamentum, ſeu indoles, nam plicâ laboranti caput radere in Polonia pernitioſum; in Tartaria verò ſi quis plicâ affectus, eò deductus captivus fuerit, raſura minimè nocet ob climatis benignitatem.

SECTIO

[illegible]TIO V.

DEfertur ista materia [illegible] & maligna ad pilos non permodum fuliginum, ex quibus tantum creduntur oriri pili, sed simul cum sanguine, utpotè quo pilos ipsos nutriri. Hinc manifestum est quòd pili hi intricati, abscissi aliquando sanguinem fundant.

SECTIO VI.

Est plica symptomaticum quid, sed aliquandò criticum ortum ex materiæ istius vitiosæ expulsione versus caput, nam plica nihil periculi adfert, sæpeq; sinè ullo damno ad mortem usq; circumfertur. Id verò quod maximè ægrum infestat, est humor ille malus in corpore hærens, unde pili oriuntur. Hic enim est qui gravissima illa symptomata efficit, quæ jam enumerantur.

SECTIO VII.

INcipiente trichomate, unus vel alter cirrus in capite, vel barba excrescit, cum vicinis crinibus sibi introrsum implicatus, & densus, antequam is excrescat, vel etiam, quamvis excreverit, modò tamen vitiosa materia in corpore redundet, in ossa infringuntur, laxantur artus, membra conglobantur, ac retorquentur: gibbi efficiuntur pediculi funduntur, quibus caput ità oppletur, ut nequaquam purgari possit. Sed hoc non est perpetuum, ut pediculi in plica adsint; narravit mihi Lovani Illustrissimus Dominus Skuminovius, Episcopus Gratianopolitanus se Novisse nobilem Polonum Petrum Niezmierski, ferè sexagenarium in alba Russia cui capitis pars plica fœmina, ad instar pilosæ pyramidis cirrata, nullum unquam habuit pediculum, quin è contrario si vivus pediculus capiti ejus imponeretur, moriebatur. Si cinni hi & cirri reddantur intempestivè, humor malignus, & virus in corpus relabitur, & ægros jam dictis modis torquet, caput, pedes, manus, omnes artus, omnes juncturæ, omnes corporis partes exagitantur, ideoq; morbus hic Polonicâ linguâ vocatur Gozdziec quasi clavatus; quod corporis, capitis præcipuè clavis confixi dolorem æquet, ungues aliquandò

præci-

præcipuè in pedibus, & maximè in [...] scabri, longi & nigri fiunt instar cornu hircini observatum [...] qui tales fasciculos implicatorum inter se crinium derasissent, [...] ungues illos præscidissent, oculis captos fuisse aut defluxionibus ad alias partes gravissimè afflictos, purgantem usitata, si exhibeantur, efferatur magis malum, quidam cum aliquod annis hoc genere mali cruciati essent, nec caput rasissent, sed omnem spurcitiem, ac molestiam pertinaciter pertulissent. Tandem virulentis illis cirris spontè sua decidentibus convaluere desumpta, scilicet tota illa maligna materia in capillos, quod de mascula plica intellige nam Fæmina est immedicabilis, contrahitur hoc malum etiam per contagium, si quis aliquoties sibi imponat pileum sudore plicâ laborantis madidum.

SECTIO VIII.

HÆc retuli ità esse, & sic se habere universis omnis ordinis Poloni maximi, medioxumi, minimi ad fatentur, eaq; fuit constans tot sæculis sententia à parentibus inculcata, ab Avis, Proavis, Attavis, Tritavis propagata, & tradita, tantoq; cum suo malo vera comperta, quam tamen jam nunc ridet Willielmus Davissonus Nobilis scotus Christianisimi Galliarum, & navarræ Regis consiliarius, & medicus domûs, hortiq; Plantarum medicinalium, qui Parisiis in suburbio S. Victoris est, olim Præfectus, nunc autem S. Regiæ Majestatis Poloniæ & Sveciæ Senior, Archiater, & Chimicus. S. Reginalis itidem Majestatis in vulgari medicina personæ Medicus; nam in suo Prodromo commentariorum Scotiorum in Petri Severini idæam Medicinæ Philosophicæ pag. 450. vocat plicam polonicam morbum, ex superstitiosarum mulierum cerebro natum, & in credulos aliquos Medicos transplantatum. Audax herclè & intollerandum facinus ab homine alienigena Nobilem, potentem, strenuam, ingeniosam gentem à cujus Magno Rege, Reginaq; lautisima meret stipendia scripto publicò edito traduci, ut stolidam, stultam, infrunitam, delirantem, quid enim aliud censeas de eo, qui morbum hunc sævissimum immeritò morbi no-

bi nomine, insigniri [illegible] e eo narrantur, aniles esse fabulas, eisdemq. adsentientes [illegible] mentis non esse compotes ait, hoc est, sincipe esse non satis sano & hoc se agere ostendit, ut ponat auxilium nobilissimæ & fortissimæ Genti: ut non solùm medelam gravissimis affectibus corporum adferat, qui sub nomine plicæ occultantur, sed etiam animos moderatiorum hominum à Tyrannide fabulosa & superstitiosa deinceps liberet, id est paucioribus verbis, ut genti fatuæ mentem restituat, hic videlicet alter est Hippocrates, qui è longinquo accersitus insanienti Democrito opem & salutem laturus est. At Democrito, quàm ipse Hippocrates, sapientiori. Septem annis, inquit, se in Polonia degisse tanto tempore sibi arrogat acquisivisse scientiam quà veram de plica opinionem tot sæculis irroboratam convellat, & proterat. Id quomodo efficere conetur operæ pretium est videre.

SECTIO IX.

PRincipio ablegat nos ad consultationem Patavinam, quæ proponit hominem triginta annorum, boni habitus apud Polonos Derepentè fieri debilem, tremulum, aut lividum, exsanguem. inde post tres aut quatuor dies capillos capitis crispari, invarios cirros involui, figuras quasi angvium repræsentantes, qui puncti sanguinem effundunt, cum furfure, pediculis, spurcitie, & fœtore totius capitis. His itaq; se habentibus accedere Medicum qui si sanguinem miserit aut purget, vel pilos ad spurcitiem illam auferendam radat; illicò sæva symptomata advenire dolores oculorum, articulorum, ossium, membrorum contractiones &c. adversus quæ hæc reponit.

Animadversio in decimam sectionem quæ continetur in Prodromo commentariorum Petri Severini Dani Cap. de transplant. Hæc sectio primis sedecim aut septemdecim lineis exposita, est parallelatio falsæ instructionis plicæ datæ, cum vera, falsæ à Polono quodam credulo, & medicinæ ignaro, qui pro hujus mali causa data, aut assumpta opera missus dicitur fuisse (ut apparet in defectu forsan Medicorum) Patavium, ut inde causam

tàm

tàm monstruosi affectus, & simul remediu[illegible] profligatione addisceret. Sed quùm neq; Professores loci plicosum, [illegible]m unquam viderant, non poterant nisi ex falsa relatione imaginarium illu[m] affectum intelligere. Unde quid mirum, si à tot annis transierit plica per omnes universitates Europæ pro morbo endemio, ut Polonis omnibus, solis, & semper, proprio, & quæ materiam thesium omnibus universitatibus jam dudum suppeditabat. Hunc igitur affectum, quùm Excellens Dominus Davissonus jam à Sedecim annis observaverit, nihilq; simile instructioni Pataviensium inveniret, operæ pretium duxit in hanc fœdam, deformem, & sanitati admodum contrariam labem animadvertere. Proinde ut huic malo non solùm genti detractorio, & pudibundo, sed sanitati admodum contrario obuiam iret, è Libris Excellentissimorum professorum Pataviensium, Excellentissimi Herculis de Saxonia & Fonsecæ informationem istam commentitiam, & fabulosam excerpsit, & cum vera quæ sua est, & Autopsiæ accommodata parallelavit juxtà locum istum Prodromi commentariorum Petri Severini Dani, ubi falsæ descriptioni veram adjunxit. Hæc igitur veræ plicæ descriptio ab Excellentissimo Domino Davissono facta, suscipitur à Vopisco Fortunato Plempio refutanda, ex instigatione Skuminovii hominis simplicis creduli, & medicinæ prorsus ignari, & ejus farinæ, atq; ille Polonus, qui primò simplicitate & credulitate sua occasionem dederat Patavinis Professoribus falsos istos de plica rumores per omnes Europæ universitates, quasi de novo, miraculoso, & inaudito morbo spargere, sed præsertim in Polonos aliquot credulos, qui Authoritate Pataviensium freti rumores istos falsos, & non benè trutinatos (denuò occasione nacta virorum eruditorum) vires resumere inceperunt. Itaq; ignorantia Mater admirationis plicam à Polonis ad universitatem Patavinam, falsa relatione adumbratam transmisit, & denuò cum explicatione causæ corroboratam reddiderant, & obstinatiores aliquot in causa plicæ confirmavit. Sed ut totus mundus videat, quis in hoc campo victoriæ palmam eripere debeat, rogo æquum lectorem, ut judicium suspendat quousq; responsa singularum sectionum pro Excellenti Davissono facta audiverit. Et hoc pacto credo nullam in Europa universitatem illi contradicturam, sed manus traditeram, & plicam è numero morborum eliminaturam.

Quod hominem triginta annorum pro exemplo supponant, error est, nam non solùm contingere videtur ætatibus triginta annorum, sed pueris ali-

quando

quando trium annorum [illegible] *er, natis si ità matris aut nutricis super-*
stitioni placere libuerit. [illegible] *entè fiunt debiles, sed præviam aliquam*
experiuntur causam debili [illegible] *mvis non à plica. Simili modo nec tre-*
muli, nec pallidi, nec exangues repentè fiunt, sed post manifestam aliquam
actionem læsam, neq; post tres aut quatuor dies capilli capitis crispantur, nec
involuuntur in tales circos varias figuras, quasi angujum recipientes, nisi ar-
te per contrectationem crebram, quasi per artem fulloniam introducantur,
neq; puncti sanguinem effundunt, sed de furfure, pediculis, spurcitia, inhonesto
fætore totius capitis. Hæc à veritate haudaliena sunt, illa enim omnia acci-
dunt illis, qui data opera ut in complicationem concrescant, crines pectine
non diducunt aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt;
sed cùm accedit Medicus, qui sanguinem mittere, aut purgare, vel pilos ad
spurcitiem illam auferendam radere velit, illicò illis symptomata sæva acce-
dere somniant.

Ego illis sic occurro, consultatio illa est Roderici à Fonseca Olyssiponensis in Patavina Academia Medicinæ practicæ Professoris, in qua proponit sibi hominem triginta annorum plicâ laborantem, verbi & exempli duntaxat gratia, vel ut in consultationibus, & consiliis, ut vocant fieri adsolet, non quod tantùm illa ætate affectum istum invadere existimaverit. Invadit enim, & torquet mortales ætate qualibet, atq; ut confestim accipio, quod ipsius hic ait, etiam nuper natos interdum corripi. Quid autem tùm matris aut nutricis, superstitioni est adsignandum? Cirros in infante videre, tangere, non est superstitiosum: aut vult fortassis Matrem imaginari circos in infante esse, qui non existunt? Hoc jam est phreneticam aut aliter deliram Matrem dicere similem Theophilo Galenico tibicines in conclavi suo canere garrienti, qui nusquam essent, & si mater forsan, id pravè imaginata fuit, adstantes tamen quidam sapiebant, qui falsam imaginationem rejecissent, nec narrari, aut credi passi fuissent infantem cirratum esse, qui nuper in lucem sit editus, repentè autem fieri debiles, tremulos, pallidos etiam ponit verbi tantùm causa, non quod ità semper & perpetuò accedat. Et repentè ipsi non est confestim, statim, extemplò: Sed sinè manifesta causa, quæ à prudentibus adstanti bus

bus, aut Medicis advocatis poteſt [...] s. nullo prægreſſo animi pathemate, nulla febre, nu[...]e, nullâ vehementi corporis exercitatione, nullâ inediâ & [...]itatem autem tremorem, pallorem, non à plica ſeu capillorum contorſione fieri. Verum eſt, at fit à materia maligna, virulenta, venenata, in corpore vagante, à qua deinde fit plica. Similiter verum eſt, non ſemper poſt tres, aut quatuor dies ab illa debilitate, tremore, pallore capillos criſpari, ſed ſæpè longo poſt tempore, aliquando tamen citò, pro ut natura valens, vel invalida eſt, vel materia pauca, vel copioſa, quod poſtea addit capillos circos, (cirros dicere debuit) non involvi niſi arte per contrectationem crebram, quaſi per artem fulloniam introducantur. Hoc à vero alienum eſt, teſtem apello univerſam cirratorum in Ruſsia turbam, quorum nullus in capillos ſuos fullonicam ſe exercuiſſe ajet, cùm caput raſum habeant, relicto uno in ſincipite, aut circa tempora tutulo, in hunc ergò ſolùm fullonicam exercere queunt: atq; reliquò capite toto excreſcunt cirratæ ſpiræ, & in puerulis trimis, nuperq; natis infantibus nihil capillorum, eſt per artem fulloniam, compli candum tamen hi quoq; eo affectu laborant punctos illos capillos ſanguinem non effundere, ſed de furfure pediculis, ſpurcitia, inhoneſto fætore totius capitis eundem prodire: partim verum eſt, partim non verum furfures ſpurcitia inhoneſtus capitis fætor ſanguinem haud fundunt, nec fundere poſſunt. pediculi poſſunt. Eſt autem cùm caput plica deformatum nullos, aut pediculos, ut de Petro Niezmierſki Nobili Polono antè relatum eſt; in eò ſi pili crasſefacti ſunt, ſi eorundem cavitas patientior reddita, utiq; abſcisſi ſanguinem ſtillant; qui eo caſu non fundetur è pediculis, at, inquit, illa omnia accidere illis, qui datâ operâ, ut incomplicationem concreſcant, crines pectine non deducunt, aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt, ſunt agaſones, muliones, aurigæ in Germania, Italia, Hiſpania, qui nunquàm, vel rarò crines pectine diſpeſcunt, non cruciantur tamen unquam illis malis, quæ in plica evenire advertuntur. Eſt in Europa natio miſera, quæ vix alium capillitii uſum agnoſcit, quàm ad detergendas manus à pinguibus

guibus cænæ sordib[...];omni illuvie: qua de causa ingen-
tes concretorum cri[...]s alit in humeros usq; dependentes,
quibus vice mantilium [...]tes pinguedine, ciboq; digitos solet
injicere, eoq; pacto ext[...]gere. Nescit tamen illos cruciatus, qui-
bus polonicâ plicâ affecti torquentur, & in Russia tonso ad vivam
cutem capite nequeunt fulloniam in plicando pilo artem exercere,
quibus tamen plica supervenit.

SECTIO. XI.

AT somniat, inquit, symptomata illa sæva accedere, cùm accedit Medicus, qui sanguinem mittere aut purgare, vel pilos ad spurcitiem illam auferendam radere velit. Hic iterum Coræbos, aut Morychos facit Polonos, quippè vigilantes dicit somniare, & sentire tormenta, quæ non sunt, dùm vult duntaxat Medicus sanguinem mittere, dùm vult purgare, dùm vult pilos radere, nulla accedunt sæva symptomata, ideoq; neq; illa sentire somniant sapientes Poloni; sed dum Medicus sanguinem misit, purgavit, capillos rasit. Tum demùm accedunt, & revera ab ægris sentiuntur, pergit.

SECTIO XII.

EGo plures quàm sexaginta plicas istas immensas latitudinem caudæ Castorinæ superantes; imò & usq; ad coxin propendentes, aliquibus abscindi curavi, absq; ullo prævio remedio adhibito, aut symptomate qualicunq; subsequente. Alii negarent id factum, sed ego credo viro Nobili id publicè affirmanti: & dico id feliciter successisse iis, quibus tota materia virulenta in pilos erat absumpta. Iis enim interdum spontè cirri decidunt, & sani evadunt, at quibus multùm materiæ malignæ in corpore super est, isti non impunè ferent pilorum resectionem: sed doloribus oculorum, cæcitate, articulorum, ossium, membrorum contractionibus corripiuntur.

SECTIO XIII.

ILlicò dolores illos à plica abscissa oriri non deprehenderam, imò

 potiùs

potiùs assererem istos dolores perpe... non aliundè oriri, quàm à radicibus istis capillitiorum, ... cantur sub fullatione, quia plicata capillitia trahunt no... infundo in unum, & perpetua vellicatione dolores pariunt im...ensos, & perpetuos, & præcipuè quandò submissè intergum dependent, nam tunc pondere suo totum pericranium torquet, & in consensum trahit, non semper illicò dolores illi plicâ abscissâ ingruunt, sed aliquandò citiùs, aliquandò tardiùs pro naturæ vel materiæ nocentis conditione. At enim dolores istos oriri ideò, qui capilli plicati pondere suo pericranium torqueant, & trahant, id minimè est credendum, nam etsi dolorem capitis fortassis eo pacto inducere possint; articulorum tamen, ossium, membrorumq; contractiones non queunt suo pondere facere, & multò plures sunt, quibus non dimittitur conglomeratum capillitium, in tergum & coxas usq; sed solùm dependet hic & hic cirrus unus & alter pondere suo nequiens pericranium detrahere; atq; in his tamen etiam dolores tales contingunt.

SECTIO XIV.

DEinde scribit quemadmodum ophthalmia curanda sit, nimirum primò mittendum esse sanguinem ex vena maxima apparente ad uncias novem, nocte sequenti admovendum post aures emplastrum vesicas excitans; utatur, inquit, isto remedio, & nullo alio, & respondebo pro vita nullam cæcitatem inde subventuram. Si hoc consilio usi fuerint antè decursum annorum viginti, & apparuerit plica in Polonia capite plectar pro præmio. Occisissimus est Archiater iste, acephalus est, quid? non apparituram plicam in tota Polonia, si ante vigesimum annum sanguis mittatur, & post aures applicetur vesicatorium? Atq; in eam rem caput suum oppignorare? jam nunc sinè capite est, si verbo suo stet; nè quidem promitti potest non secuturam cæcitatem, & si benigna sit ophthalmia. Quid ergò proficiet, dùm sanguinem misisse, vesicatorium pone aures adhibuisse antè annum ætatis vicesimum, ad avertendam ex tota Polonia plicam.

...TIO XV.

PLica sic fit: cùm m... homines lecto diu detinere solent progressu temporis, crebra crinium contrà pulvinaria perfrictione, longoq; super crines, modò in occipite aut circa tempora. Si plica, non Aliunde, quàm ex causis illis fiat multò frequentior esset plica hìc in Belgio, Gallia, Germania, Italia, quàm in Polonia. Nam in illis regionibus Viri Comati sunt promisso capillitio, in Polonia detonsam habent calvam. Sine dubitatione igitur alia plicæ subest causa, quæ & illa mala infert Symptomata, qualia comitantur intricationem pilorum ex longo decubitu, qui enim ex cachexia, hydrope, phtisi, paralysi diutulè lecto affiguntur, & si fortè impexos capillos habent, quòd tempore longo pexi non sint: haud tamen illis cruciatibus torquentur, qui in plica adesse observantur, qui quidem a plica non efficiunt, sed à materia venenata in corpore hærente, & in pilos symptomaticè vel criticè missa, neq; hæc sunt imaginaria, fabulosa ex rusticorum superstitiosorum, aut mulierculárum ingeniis nata ut ipse contendit: Sed pluribus sæculis in Russia explorata, ac vera comperta magno cum hominum malo. Habet is affectus multa accidentia, luis venereæ, vel scorbuti; Attamen ab utroq; morbo isto diversus est; pluresq; remediis ante venereis, & antescorbuticis frustrà diu curari, ac macerari senserunt tandem suo detrimento infestari se eo humore, qui plicam facit ad cholicam biliosam universè etiam referri nequit, ut, ut enim aliqui, antequam plica se ostendat Coli aliorumq; intestinorum doloribus tententur, hoc non est perpetuum, sæpeq; cholica nulla antecedit, quin aliquando plica se prodit usq; ut homines diu in lecto decubuerint; ità ut vel tùm saltem non posit pilorum implicatio adscribi crebræ crinium contrà pulvinaria perfrictioni, longoq; super crines decubitui. In Russia & Polonia malum hoc quoq; invadit equos, qui, si hic per solidum decennium strigille non pectantur, minimè eo corripientur. Barba deniq; etiam multis implicatur; an, & id ad longum in lecto decubitum referendum? Ego quidem

dem haud accredo; neq; hic q[illegible] apucinorum longibarborum, quantumvis diu ægrot[illegible] ecto jacuisset, taliter cirratos barbæ crines habere visus est. Hæc sunt quæ pro tuenda Polonorum sapientia dicere habui, censeoq; cognitionem istius affectûs potiùs hauriendum esse à Medicis Polonis, Russisq;, quàm ab externo Scoto, qui septem vel octo tantum annis in Polonia habitavit.

SECTIO XVI.

Constat Polonorum omnium experientiâ in hoc malo purgationes, & venæ sectionem adhibitas non prodesse sed nocere. Videtur ergò hic morbus, ut sanetur perfectè, proprium & specificum postulare alexipharmacum, sicut scorbutus, & lues venera, atque alii occulti morbi, quod alexipharmacum interim, dum investigatur, potest usurpari Theriaca, quæ est alexipharmacum universale. Detur ergò Theriaca frequenter, sudorque provocetur, maximè è capite. Sic enim materia illa vitiosa citiùs ad capillos, quò tendit, evocabitur. Ad quod ipsum plurimum confert, ut aggrestium Polonorum experientia docuit, lotio capitis parata ex decocto foliorum branchæ ursinæ & herbæ quæ Polonico idiomate vocatur dereza, serpit humi in locis arenosis, quibus crescunt pinus, est muscus terrestris, de quo in herbario suo Dodonæus part. 3. lib. 15. Cap. 14.

VO-

VOPISC[illegible]ORTUNATI
P[illegible]EMPII
AMSTELREDOMENSIS
Artium & Medicinæ Doctoris atq; ejusdem
in Academia Lovaniensi Professoris
Primarii

De affectibus capillorum & ungium.

CAPUT VII.

De tricis, seu trichomate quam plicam vocant pag. 42.

Contenta hujus Capitis.

PLica quid sit? quibus regionibus sit familiaris? est duplex, Mascula & Fæmina. Quæ sit causa plicæ? Historicorum de ea sententiæ, signa, Symptomata. Plicæ aliquot carent pediculis, vocatur Polonicè Gozdziec, plicam fabulosam, imaginariam & superstitiosam esse audet scribere Davissonus natione Scotus, ejus argumenta examinantur, & refelluntur, plicæ curatio.

Responsio & Destructio 16. articulorum
CAPITIS VII.
VOPISCI FORTUNATI
PLEMPII
De plica seu Trichomate

IN isto cap. sunt 16. sectiones in quibus singulis veritatem luce clariorem aperiam; Quæ falsa aut commentitia sunt rejiciam, ut unicuiq; pateat

quid deinceps de plica Polonica censeri de[...] textus diverso charactere distinguentur & designabuntur [...]arum inservientium lectori habenti ipsum librum. Quòd si de[...]gendo ipsum textum facilè inveniet. Primò brevitatis causa, in quinq; primis sectionibus inveniet Lector omnia pertinentia ad istas sectiones in uno eodemq; textu.

Quod ad sextam sect. attinet hactenus explicatum est, plicam neq; esse symptomaticum, nec criticum, nec ex ullius materiæ vitiosæ expulsione ad caput oriri, & ubi dicit plicam nihil periculi adferre ægro, nihil falsius est. Quid enim expectare debemus ab homine obstruente suturas capitis per impedimenta pectinationis, quæ poros capitis aperiunt, & viam dant fulliginosis humoribus, nisi ut in periculosos morbos capitis incidat; Unde humores illi mali in corpore hærent, & lædunt, non quia homo scindit plicam, ut falsè præsupponitur, sed quia eam nutrit.

Quid sit plica quærat Dominus Doctor à fullonibus, qui lanam textam in pannos fullant; in molendinis fullatoriis, aut ab illis qui lanam pileos canum, castorum, cuniculorum, pro galeris aut pileis fullant, & si quis specimen plicæ manifestius considerare velit, tomentum ex crinibus boum fullatum, ut inde soleæ calceamentorum internæ comparari possint pro arcendo frigore à plantis pedum muliercularum delicatarum contempletur, & videbit plicæ fœmineæ specimen in formam caudæ castorinæ pendulam â capite plicatorum promissius, aut altiùs in unum dependere. Si sit mascula ut ridiculè, nominatur, si verò fœminea est discriminata in formam multorum lororum seu funiculorum, aut anguium, aut elichniorum militarium circà tempora horrendo invenusto & inurbano spectaculo pendulorum. Et hæc est vera plicæ descriptio, à nulla causa interna naturali, nec præter naturam proveniente, ut probatum fuit in fronte hujus tractatùs per argumenta insolubilia, nisi à sola inveterata consvetudine & avorum traditione, quæ non solùm terret, & timorem omnibus plicam scindentibus incutit, sed negligentiam pectinandi suadet, imò fullando opus accelerant cum Spiritu cerevisiæ & brancha ursina confricando. Itaq; quando negligentiam pectinandi Dominus Davissonus accusat, non illam inconcinnam, socordem, aut incultam accusat, sed credulam, meticulosam, & infelicitatis alicujus inde venturæ præsagam intelligit.

Quapropter Dominus noster Doctor nullam laudem, nec ab Instigatore suo,

suo, nec à gente Pol... veritatis obscuritatem merebitur, neq; pro ineptissimis suis consequ... ...sitico abblanditio & surreptitio favore inculcatis, & ad aurem po... ...m captandam appropriatis assequetur. Nec ille quamvis alienigena, metuat, nè credant indigenæ illum aliquid contrà illorum famam sparsisse (quorum laudes singulæ operis ejus paginæ buccinant) ut publico scripto edito ipsum traducat hoc solo nomine, quòd negligentiam pectinationis causam esse complicationis accusat, omnesq; plicâ laborantes, stolidos, infrunitos, delirantes teneat, & sic Plempius per vanas consequentias traducere Excell. Dominum Davissonum studet, apud totam gentem hoc solo nomine, quia plicam è morborum serie eliminandam studeat, & non solùm in plica laborantibus consequentias suas cadere contendit, sed assentientes judicii, & mentis non esse compotes asserit, & tales sincipite non esse satis sano, & tali genti fatuæ mentem esse restituendam. De quibus fateor ipse, si simile quid ex scripto suo inveniretur, ipse se fatuum declarasset. Et si offenderet gentem ut medicinæ inexpertem affirmando plicam non esse morbum, tùm totum mundum offenderet, qui artem medicam non intelligit, credo strenuissimam gentem Polonam, quæ tota in expeditionibus bellicis versatur, non tradući, quamvis in Medicina nihil scire dixerit aliquis, imò optabile esset nullum ægrum esse sciolum, sed se se velle gubernationi Medicorum omninò tradere; imò illis major esset utilitas & medicis amplior gloria: Tibi verò primario Professori, qui studes implere vacuas tuas paginas inanibus tuis consequentiis. Quibus illum ambis malè audire apud Nationem ubi victitat. Imò ipsi, qui illum satis norunt, non credent, illum tales consequentias unquam intellexisse, sed te ista cum instigatore tuo malitiosè affinxisse; si tu ità favere vis plicæ, docebo te quo pacto speciosissimam habere possis plicam, ascende cathedram cum pileo tuo nocturno, imò ad annum integrum, nè auferas noctu diuq;, & egregiam tibi acquires callotam, quæ tuum caput ab hyberno frigore muniet, & nè aliquid perdas in pulchra hâc œconomia, primo habebis æternum pileum, unde liberaberis à pileorum emptione; Deindè aliorum pilei fiunt è exuviis animalium, sub quibus tu non vis subjici, tuus verò erit sub humanis exuviis sub quibus vis ut triumphum ducas. Aliorum pili & pilei facilius amittunt materiam, sudoris crassamentum, furfures, achores, tineam hecydriam, phydracia, pediculos, porriginem, furfur, tuus pro sumptuosa supellectile retinebit. Deniq; aream & ejus species Alopæsiasin, tùm Ophiasin,

sin, calvitiem, tùm omnes Ægyptiorum p[...]s & neq; Galiendro, nec pileo, nec petaso egebis, & omnes istos [...]apitis affectus, quos tu ad vacuas tuas paginas implendas in unum c[...], occultabis, tùm tuam in non emendis caris istis pileis, œconomicam sapientiam ostendes, & quas tu species pileorum ex insigni aliquo animi tui specimine, & ex barbararum gentium dictionariis deprompsisti inutiles facies, nam omnes plicarum exuvias apud te, & in capite tuo plicoso custodies, imò Garamantos, quos citas, instrues quo pacto ad tuum exemplar non opus habeant amplius dimidio Strutheonis ovo uti pro pileo, ut perdoctè ut soles in toto tuo opere pilorum & unguium vitia exposuisti. Instigatori hactenus respondi, quid dicant Historici, & quousq; illis erit fides adhibenda de qua tu tractas cap. 7. Itaq; leget responsum ad instigatorem tuum aut tractatum ejus, de plica nihil inveniet novi, sed dicta & redicta, meliores mores domi didicisset, sed videtur inter Scythas & moschos infames istos mores didicisse, si domi mansisset, satiùs fuisset, ubi & mansuetudinem, civilitatem, & ad omnia bona officia promptitudinem inter suos compatriotas didicisset, quàm ut inter peregrinos infelicem peregrinationem suscepisset.

Pag 43. Linea 23. defertur ista materia vitiosa

Dicit materiam vitiosam, quæ plicam nutrit, non per modum fulliginum, ex quibus pili oriuntur, deferri, sed simul cum sanguine in plicam contrahi, sed hactenus validis argumentis probatum fuit, crines, nec plicam in se ullum habere sangvinem, & tamen semper ad falsissimam istam hypothesin recurris, quòd pili intricati, aut plicosi abscissi sangvinem fundant, ne fidas igitur Instigatori tuo superbo & hujus rei ignaro.

In hac Sect. ludit ex falsis instigatoris sui informationibus, sicut catulus Aliquis cum cauda, neq; infringuntur ossa, neq; membra conglobantur, neq; gibbi efficiuntur. Et si hoc ità accideret, hoc esset propter humorem aliquem plicosum intus latentem, sed exitu carentem; Sed quibus ista accidunt, contingunt quia plicosa capillitia impediunt per contagium, sed si diceret ex contagiosa consvetudine superstitiosarum mulierum rectiùs dixisset, & ubi dicit plicam acquiri, quando quis induit pileum sudore plicosi hominis madidum, & hâc opinione nihil est falsius, imò & ego permittam talem pileum capiti meo imponi in despectum plicæ & omnium diabolorum & veneficarum totius orbis terrarum, & tamen plica nunquam me infestabit.

Inci-

Incipiente trichom[illegible]terCirrus in capite vel barba excrescit, cum vicinis [illegible] introrsum implicatus, & densus, antequam is excrescat, [illegible]m quamvis excreverit, modò tamen materia vitiosa in Corpo[illegible] redundet ossa infringuntur, laxantur artus, membra conglobantur, gibbi efficiun-tur, pediculi fundun-tur, quibus caput itá oppletur, ut nequaquam purgari possit.

Tu qui Philosophi sapientis, aut docti locum tenes, nonne te pudere debet, super stultissima verba imperiti hominis proveritate phisiologica stabilire, & juvenum ingenia ad medicinam destinata falsis hypothesibus corrumpere, video Ingenium tuum sapere solùm in etymo nominum examinando, ut testaris 1. & 2. pag. tui lib. aut in grammaticis regulis discutiendis, quibus puerilem & pedenticam dispositionem ostendis, alioqui penitius in veritatem rerum introspexisses, nec relationibus falsissimis vani hominis fretus suscepisses causam pravam per argumenta Philosophica ut Medicum & Professorem decuit, defendere: sed relictâ causâ Virum tibi ignotum putidis injuriis ab instigatore tuo lacessitum invadere voluisti si instigator tuus post tot terras peragratas, Galliam invisisset, meliores mores didicisset, nec rem, humanas vires excedentem ultrò non promisisset, cum certitudine asseruisset, ut in ejus Epistola invenietur. videlicet plicam posse frangere ossa hominis plicosi; Verum quidem est, ossa posse à violentia aliqua inflicta extrinsecâ vi, aut à casu aliquo infringi sed ab interna nunquam, verum quidem est ossa posse ab ex-ostosibus luis venereæ multum alterari & corrodi, Sed frangi nunquam, & si ossa loquerentur riderent fidem instigatoris tui dicerentq; alterari in hominibus gerentibus plicam, sed non à plica, sed â lue Venerea, itaq; faceta illa popularis trium personarum, Historia asini, magnifici cujusdam Domini & circulatoris ad fracturam istam ossium non illepidè applicare possit. Dicitur enim insignem aliquem aucupatorem crumenorum venisse ad Magnificum divitem Dominum, cui pollicebatur pretio quodam constituto, ut antè annum asinum, quem alebat, doceret articulare verba, & loqui sicut homines. Interrogatus vero quare impossibilia polliceretur, Respondit hominem habentem terminum nihil debere, usq; ad termini exspirationem, ità si ante terminum istum consumptum, aut Magnificus Dominus, cui sponsio fuit facta, moreretur, aut sponsor, aut asinus: tunc uno deficiente non teneretur promissis stare; sed si omnes supervixerint, vereret, ne super uno

uno ex istis tribus caderet sors decepti, [illegible] Sed nolo hujus fabulæ applicationem pertinaciùs promover[illegible] ar Apulei asinum aureum suscitasse. Sed si sors super Dominum P[illegible]m ceciderit, habet apud se conservam rosarum, per quam juxtà Apuleum in Plempium salvo honore redire possit, & quamvis in exemplis non sit inquirenda veritas, tamen per transennam licebit seriis miscere joca absq; ulla personarum istarum offensione, quamvis Dominum Davissonum seriò prius mille insolentiis invaserint, modo clitellarium appellando, modò hominem vicos oberrantem, ut quærat quem devoret, aliquando mercatorem, imprudentem, Satyricium caput, contortum ingenium, multis compositum mendaciis, quæ omnia toti Europæ se explicaturum promittit, & falsa & commentitia Scoti illiùs ut ait scripta de plica, toti se orbi ostensurum dicit, sed defatigor ab istis nugis, non enim infringuntur ossa ab aliquo pravo humore nisi accedat ars, quæ istam fracturam inducere possit, & ut tibi suppeditem objectionem infractione ossium, potes dicere fieri posse ab inveterata lue venerea, in ossibus tibiarum, brachiorum, femorumq; in cranio, & maxillis exostoscs, quæ post dolores nocturnos aliquot annorum exedere solent, non solùm periostia, sed etiam ossa ipsa possunt: Sed ista exesio non est fractio, nec spatio unius anni facta, & dato sed non concesso, quòd sit fractio, non demonstrabitur venire ab alia materia vitiosa in corpore, quàm ab humore maligno luis venereæ. Disce igitur curare luem veneream, & curabis plicam; Quod ad historiam Petri Niezmirski attinet fuerunt illa hactenus dicta & redicta, proinde non moror.

In Sectione octava verò adfert consensum superstitiosorum Russorum sustinentium plicæ veritatem, accusatq; excellentem Dominum Davissonum, quod superstitiones istas rideat, adfertq; cumulum titulorum suorum, qui tam veri sunt, & multò veriores, quam honorarii tituli Instigatoris sui, qui non virtute sua talibus titulis fruitur, sed ambitione & magnatum, quibus inseruit solicitatione, atq; ità licere sibi imaginatur bonos & probos homines injuriis lacessere, in reliqua ista sect. ridiculas suas consequentias prodit, de quibus postea agetur.

Folio 44. line 20. progrediendo dicit omnes Polonorum ordines affirmare plicam esse mirabilem, tantoq; suo malo veram compertam esse ab avis, atavis,

Ad

Ad hoc Responsio, ... m unius docti Medici, quàm millio-
num aliquot in doctorum, ... legi aliquem doctum Medicum susti-
nuisse causam plicæ. & siqui... qui in juventute applicuerat se ad istas
nugas veniente maturâ ætate ...experientiâ palinodiam canebat. Et si ri-
deat ista Willielmus Davissonius Nobilis Scotus, quem tu depingis cum proli-
xis suis titulis, quamvis veris, & authenticâ approbatione confirmatis. Noli mirari nam in prodromo suo commentariorum, quæ tu scommaticè scotiorum vocas scribit plicam morbum esse, ex superstitiosarum mulierum cerebro natum, imò & superstitio ista, quærendo locum ubi degere potuerat, non invenit in toto orbe locum vaccuum ubi se se transplantare potuit, nisi in cerebrum tuum scotiorum (ut patriæ suæ illudis) nugis adeò repletum, atq; est nox tenebris, & si quis stultitiam tuam & cerebrum tuum omni bona doctrina vacuum, & ex aliquo symptomate ægrum declarare velit, ex nulla re certiori indicationem depromere possit, quam quâ Prodromum & commentaria ejus in Petri Severini Dani Medici & Philosophi Sublimis Ideam Medicinæ Phylosophicæ, Hippocraticæ, Galenicæ & Paracelsicæ tenebrarum vitio accusare studeas, propterea in calce hujus tractatus Indicem prodromi apponere feci, ut unusquisq; ex parte quid de integro censere possit continuo judicet, & te in doctrina. Veterum philosophorum videlicet Zoroastri, Hermetis Trismegisti, Platonis, Procli, Hippocratis, Democratis super qua Prodromus & commentaria illa fundantur, Tyronem & hospitem peregrinum esse prorsus proclamabit, proinde revolue denuò Prodromum cum hâc indice & rudimenta Doctrinæ Veterum Philosophorum super quæ Idea Medicinæ Philosophica Petri Severini Dani fundantur addisces; pudere debet primarium Professorem tot Eruditissimorum Lovaniensium Medicorum successorem; in Elementis Philosophiæ veterum ad stuporem ita cæcutientem audire, immò unusquisq; cum Cathedris, sedilibus & parietibus scholæ Lovaniensis ubi Veterum Philosophorum doctrina olim inculcabatur Infortunato Plempio allatrabunt. Præsertim cum dicat Doctrinam Petri Severini Dani & Prodromum & Commentaria Excellentis Domini Davissoni Claustra Doctrinæ Veterum tibi aperientis Scotiorum doctrinam nominet quùm tamen σκοταῖον nihil in doctrina Veterum versato doceat immo elementariis bonæ Philo-

Philosophiæ institutis absq; ulla ob[...] obviam ibit. Et *ubi dicis; quia accusat plicosos neglige[...]cum obsoleto Comicorum dicto, audax me hercle & intollerandum [...] hominem indigenam velle scripto publicè edito traducere Nobilem, Potentem, strenuam ingeniosam gentem ut sciat sub quibus aspersionibus illum involuere velit, ut nationi ubi degit odiosus, deveniat, quasi quis diceret, ut sub nomine plicatæ negligentiæ mille injuriosis agnominibus nationem præclaris in eum meritum officiis afficeret, de quibus verba nihil simile nec somniant, nec sonant,* de regione verò *ubi plurimum grassatur plica, est Russia, & abundè hactenus dictum,* quòd dicatur etiam mascula, alia Fæmina, *non est quòd me extendam, quùm hactenus sufficienter de istis dictionibus, usq; ad nauseam dixerim,* quæ autem sit causa dico: *quemadmodum sæpe dixi nullam habere causam essentialem sed procatharticam videlicet illam, quæ causat negligentiam meticulosam, nè aliquid periculi subveniat. Tu verò qui istas nugas inculcas, cavè nè* Universitas *Lovaniensis stipendium tuum tibi auferat, & pro fuco teneat, qui talentum non habes, quo possis auditoribus tuis selectius subjectum eligere, quàm quod de vitiis capillorum & ungvium tractat. Lovanienses percelebres semper habuerunt* Professores, *neq; unquam libros de Vetularum nugis antè te scripserunt.*

In nona Sectione verba Excel. Domini Davisoni quæ in Prodromo *suo de consultationibus Patavinis Excellentissimi Herculis Saxonii, tum Fonsecæ Pataviensium Scholæ Medicorum tum Professorum eximiorum adfert.*

Pag. 45. *Excell. Domini Davissoni argumenta plicæ destructiva, & Roderici Fonsecæ relationem ad verbum recitas, quæ omnia, quùm in* Prodromo *ejus inveniantur, hic denuò repetere esset inane.*

Pag. verò 46. *invadit, inquit, & torquet mortales plica videlicet ætate qualibet, etiam nuper natos corripit. Fatetur se hic scripsisse, & rectè, est enim veridicus & veritati adstat, quid igitur vult Sciolus hic in eum fingere? Dicit quidquid* Matris *aut nutricum superstitioni est assignandum, cirros (quos ille vult ut ego dicam cirros) & ego dico meliùs circos, quia nomina essentiis rerum applico, non res nominibus astringo, ut tu in pædanismo tuo statuis, crines enim plicati super cute cranii per circulos fullantur; & proinde applico me ipsis rebus, tu verò verbis & nominibus inhæres, quia*

super

quia superficialis es [damaged] *Et in infante videre, & tangere istos circos non est superstit*[damaged]*do, sed non scindere superstitiosum, & fatuum esse asserit. Sed* [damaged]*idet pueros nuper natos aliquos cum promisis pilis, alios absq;* [damaged] *nasci. Qui sine promissis pilis nascuntur, illi non sunt plicosi, sed qui longos habent, illi ab humiditatibus viscosis, à menstruo sanguine, & glutinoso sero effluentibus pilos agglutinatos habent, non est visus qui ista præstat, sed superstitio Matris quæ in hoc consistit, quòd Mater aut Nutrix non deplicat, sed metu chymærico venturi alicujus damni fovet.*

Cirros, inquit, in infante videre, & tangere non est superstitiosum.

Verum quidem est cirros aut plicam in infante videre & tangere non esse superstitiosum, sed non scindere, aut extricare metu damni subventuri, aut credere humorum aliquem causantem plicam ad extrà priùs exstitisse in corpore, antequam exstiterat in crinibus, non est phreneticæ aut deliræ actionis; Sed superstitiosæ, credulæ aut meticulosæ, & malè informatæ. Et ità fit quia per traducem à parentibus in defectu Medicorum, qui aliter parentes instruxissent, falsas istas informationes acceperunt; & aliter instructæ non erant, quia deficiunt Medici, nec enim centesimam Medicorum partem habent, qui defectibus illorum subvenire possint, & ego idem assero, vult ne fortassis matrem imaginari cirros in infante esse qui non existunt? Hoc est phreneticam, aut aliter deliram matrem dicere, similemq; Theophilo Galenico tibicinem in conclavi suo canere credenti, qui nusquam esset. Quare igitur tu nugas tradis de Theophilo tuo Galenico? Nonne tu ille es Theophilus Lovaniensis garriens, & tibicen in conclavi tuo canens? Est ne ille tuus Instigator Skuminovius? Ergò choreas age, & noli garrire, tàm gravi viro tibi canenti, hoc tibi enim dedecus, & illi inglorium erit. Si ego ibi fuissem, dedissem ipsi denarium ut caneret, sed si noluisset, dedissem ipsi duos, quia ipsi canenti inglorium esset, & tibi non salienti in urbanum.

Linea 29. testem appello universam cirratorum in Russia turbam, quorum nullus in capillos suos fulloniam sese exercuisse artem, aiet, quùm caput rasum habeat relicto uno in sincipite, aut circa tempora tutulo, In hunc ergò solum fullonicam exercere queunt.

unt. Atq; reliquo capite toto exc[illegible] æ spiræ. *Ægro laneo debetur Medicus lineus. Instigator t[illegible] ma, falsissimaq; tibi fundamenta insinuat. Ultimæ sex lineæ ca[illegible] plica ostendent mendacem debere esse bonæ memoriæ, nam in hoc tex[illegible] dicis.*

Eadem pag. 46. *propè finem refert, & impugnat Plempius alia verba Domini Davissoni.*

Punctos illos capillos sangvinem non fundere, sed de furfure, pediculis, spurcitia, inhonesto foetore totius capitis eundem prodire: partim verum est, partim non verum, furfures, spurcitia, inhonestus capitis fætor sangvinem haud fundunt, nec fundere possunt, pediculi possunt.

Sed quid hoc est Plempi, quòd Excel. Domino Davissono affingis. Refers eum dixisse sanguinem in scissa plica prodire de furfure, pediculis, spurcitiâ, & inhonesto fætore totius capitis; Hæc certè dixit nunquam, sed de pediculis quidem, cum plica scinditur, non ego negaverim posse forfices eorum sanguine infici tantâ nimirùm copiâ, at mole aluntur sæpe in plicosis istis capillitiis; Attamen in iis verbis Dominus Davissonus hoc non scripsit. Sed verò de furfure, de spurcitia, de fætore capitis quis dixerit sanguinem prodire? Et tu hæc affingis Viro Doctis. ergò quia propter Typographi incuriam inepta interpunctio periodum frangit. Tu, qui in grammaticis nugis adeò sedulam operam consumpsisti, ità non cognoscis ineptam illam interpunctionē delendam esse, ut periodum corrumpas adhuc magis quàm Typographus, & ad ineptissimum sensum detorqueas, additis his vocibus: eundem prodire *quæ in verbis Excellentis. Davissoni non reperiuntur? Animadvertas igitur quòd ablatâ Interpunctione, quam perperam addidit Typographus. Hæc sunt quæ scripsit Davissonus.* Neq; puncti sangvinem effundunt, sed de furfure, pediculis, spurcitia, inhonesto fœtore totius capitis, hæc à veritate haud aliena sunt. *Nempe in consultatione Patavina proponitur Polonus triginta annorum, qui repentè fiat debilis, tremulus, pallidus, exanguis, cui post tres dies capilli in cirros figuras angvium repræsentantes crispentur, qui puncti sanguinem effundant, cum furfure, pediculis, spurcitia, & fætore totius capitis. Itaq; hanc Patavinam historiam plicæ cum sua vera parallelans Dominus Davissonus, postquam præcedentia reprehenderat; negat deinde punctos capillos sanguinem effundere;*

conce-

conceditq; verum [damaged] *a capillitia scateant surfure, pediculis, spurcitia, & inhonest* [damaged] *lius capitis. Hæc proculdubio unusquisq; etiam non admonitus c* [damaged] *et: Sed cùm ea legisti, livore tinctus nævos quærebas, quos eruditissim* [damaged] *Viro supponeres. plicosos istos Russos in capillos suos nullam fullonicam exercere artem ais, relicto uno tutulo, & tamen scribis,* plurimum conferre, ut aggrestium Polonornm experientia docuit: lotio capitis parata ex decocto foliorum branchæ ursinæ. *Et ubi ais Russos habere totum caput rasum excepto tutulo in occipite, sed ubi lotionem applicabunt, quùm totum caput sit rasum? Discutiam quomodo tibi malè insinuaverat Instigator tuus, de rasorum capite. Raditur enim Russis caput ad summum ter vel quater in anno, tutulus nunquam aut rarò, si verò apparet aliquando post aliquem morbum capillitia plicari. Nunquam apparent capite recenter raso, sed post aliquot menses longitudine capillitiorum dante occasionem, aut subjectum. Noli igitur credere cirros tuos, aut plicas polonicas apparere in capite raso (sicut imaginareris naves in aëre navigantes, & novas stellas super terra saltantes) supra calva, glabra, ant recenter rasa capita nunquam visa sunt capillitia plicata; nec cirri tui egredientes, sed in promissis pilis; & tamen tu dicis verba sequentia:* Quùm caput rasum habeant relicto tutulo, in quo solo artem fulloniam exercere queant, & tamen in reliquo excrescunt cirri, *quos tu plicas vocas, videsne te hic esse deceptum ab instigatore tuo, & Excel. Dominum Davissonum plùs scire de plica observando plicam, & practicando medicinam à septendecim annis cum Magnatibus Regni, quàm instigator tuus qui jam est adultus.*

Pag. 47. lin. 1. est autem cùm caput plicâ deformatum nullos alat pediculos, in eo si pili crassefacti sunt, si eorundem cavitas patentior reddita, utiq; abscissi sanguine stillabunt. *Nervus sapientiæ est, nihil temerè credere, tu es simplex homo, quia vis supra ignavi hominis relationem fundamentum aliquod veritatis stabilire, ille juxtà caput illius Domini Petri Niesmierski, qui caput lavare solebat spiritu cerevisiæ, omnium capita qui similibus munimentis non utuntur, metiri vult & tales pediculis non carent. Sed tu qui alios doces, & tot etyma nominum callere præsumis, quare cùm capillitiorum morbos tractas, non doces remedia ad expellendos pediculos? Ut faciliùs possis tubo tuo optico videre*

 pilos

pilos crasscefactos, ut tu insulsè loqueris [damaged] *undem cavitates patentiores redditas. Sed consulo si tubus* [damaged] *bi illudat, ut tubum probatiorem acquiras, nec videbis pilos istos* [damaged] *nguinem stillantes; nónne te pudere debet assentiri talibus nugis popula*[damaged]*bus, qui cathedram primariam Lovaniensem tenes, & ubi asseris, quòd in Russia, ubi capillitium ad vivam tonditur cutem, & ubi ars fullonia exerceri nequit, ubi nasci plicas asseris, tàm verum est, atq; pilos crassefieri, & scissos stillare sanguinem, & figuram triangularem, & cavitatem sensibilem habere, quâ formâ vis tu ut pili è cute emanant? anne ut fungi è fimento? nonne singuli pili suum porum habere debent, an tu vis unumquemq; porum multos pilos in unam plicam contractos, quod nunquam fuit visum, sed certum unumquemq; pilum habere suum, & qui nisi habeant congruam longitudinem nunquam cum aliis fullabuntur, ut plicam conficiant, idcircò corrige calendarium tuum, & redde illi gratias qui te sapientiorem reddit.*

In undecima sect. redit ad consuetas suas & ridiculas consequentias, nempè quia causam plicæ imputat negligentiæ pectinationis à metu futuri damni, vult ut sequatur Excellentem Dominum Davissonum asserere omnes Polonos esse corabos, aut morychos, & vigilantes somniare.

Folio 47, linea 7. at somniant sibi symptomata sæva accedere, quando accedit Medicus, qui sangvinem velit mittere, purgare vel spurcitiam istam auferendam radere. *In verbo illo accedere, pro accessura est ellenismus fortè vitio Typographi insertus. Cujus errores authore absente ad trecentas leucas nisi cum summa injustitia imputari non debent, oblata igitur occasione hujus termini (accedere) inducit solitas suas consequentias quasi ex unius plicosi vano phantasmate. Polonis omnibus hoc verti vitio indicaret.*

In sect. 12. relationem Excellentis Domini Davissoni, de numero plicarum à se scissarum adfert, & si causam admirationis habuerit scissionis sexaginta plicarum, à septem annis quibus in Polonia vixit, plùs mirabitur, quandò dixerit ab elapso decimo septimo anno decem millia plicarum absq; damno imò cum summo emolumento abscidisse.

In sect. 13. pergit in relatione plicarum abscissarum.

Fol. 48. deinde scribit quomodo opthalmia curanda sit, & est.

In hâc sect. 14. Plempius perperam intellexit verba Domini Davissoni,

ſoni, qui non dixit m ... ngvinem, & applicandum veſicatori-
um ante annum vigeſi ... atq; ità non apparituram plicam in tota
Polonia; Sed dixit quod ... nte ophtalmia Poloni adhibuerint ea reme-
dia (quæ tamen recenſuit exempli gratia, intelligens nempè opportuna remedia, ut mox exponetur) jam antequam labantur 20 anni, non erit amplius plica in Polonia, quia ſcilicet ſi in aliis atq; aliis per opportuna remedia curari ophtalmiam & ſanari videbunt, jam illi non amplius timebunt cœcitatem ex plicarum abſciſione, capillos pectinando, explicabunt, & valde implicatos audacter abſcindent; Neq; amplius lotionibus, aut fullatione complicationem procurabunt. Atq; ità ſenſim noxia iſta & terroris plena opinio de plica evaneſcet omnino. Fateor tamen, hic in verbis Domini Daviſſoni eſſe aliquam obſcuritatem, quæ exinde provenit, quia ibi latinis verbis expreſſit modum quendam loquendi, qui eſt in frequenti uſu apud Scotos: hoc autem cuiq; ex facili contingit, ut conſvetudines vernaculæ, nativæq; elocutionis in alienas linguas aliquando non animadvertens invehat; Sed licet hoc ità evenerit, adeò tamen abhorrent verba Domini Daviſſoni á ſenſu, in quem diſtracta fuerunt â Plempio, ut ingenuus lector facilè percipere poſſit, quæ fuerit vera authoris intentio.

Ridet præterea in eadem ſect. Plempius curationem, quam adfert pro ophthalmia Excellens Dominus Daviſſonus: Sed ridere eam non debet, quia ibi non intendit author afferre accuratam & integram curam ophthalmiæ, ſed duo duntaxat remedia ſpecifica proponit ophthalmiæ, quibus etiam Ruſtici in medicorum inopia uti poſſint, relinquendo reliqua facienda prudenti Medico, qui juxta indicationes curativas vel difficillimam ophthalmiam curare poſſit. Inſtitutum ejus non fuit iſto loco Therapeuſin omnium affectuum contrà naturam inſtituere, & per conſequens proceſſum ophthalmiæ deſcribere, ſed ὡς ἐν τύπῳ umbratilem curæ delineationem exponere; at illum velle Excellentem Dominum Daviſſonum emeritum militem docere, quomodo curet ophthalmiam, eſt patrem docere quomodo procreare liberos debeat, parco ſtultitiæ & puerilibus iſtis cogitationibus, ille ſpecificat duntaxat remedium, eſt prudentis Medici reiterare toties, quoties ratione ſubjecti, tùm plura conſiderare ratione plethoræ, ratione inflammationis, forſan ratione febris; imò non ignoro ophthalmias aliquas aliis graviores eſſe, quid inde? neq; in hoc affectu, neq; in aliis quibuscunq; eſt Medici pruden-

dentis respondere. Medicus peritus [illegible] *Deus solus eventum. Sed quanquam sit ophthalmia maligna,* [illegible] *quam respuit venæ sectionem, imò & aliquoties reiteratam; sed* [illegible] *plicam? concedo missionem sanguinis aut applicationes vesicatoriorum non posse curare plicam, nisi adsint forfices, sed si scinderentur uno & eodem die, omnes plicæ in Polonia absq; ulla alia arte evanescerent. & si pectinarentur capillitia singulis deinceps diebus, aut explicarentur, ego adhuc assero non antè viginti annos solùm, sed ante unum annum non repertum iri plicam unam in tota Polonia, neq; propter hoc aliquid damni ulli subventurum contenderem. Sed quid nunc dices? Davissonus jam solvit oppignorationem capitis, & adhuc vivit, & adhuc non est Acephalus.*

Sect. 15. allegat, si plica ex diuturna volutatione in lecto cum promissis capillitiis oriatur, Viri comati in aliis regionibus citiùs plica afficerentur, quàm in Polonia.

Folio 48. linea penultima in Polonia detonsam habent calvam.

